De prosopographia Aristophanea. Part. II.

Suidae lexic.[1]) *Καὶ παροιμία· Οὐδὲν διοίσεις Χαιρεφῶντος τὴν φύσιν.* Idem quum versus apud Aristophanem exstet,[2]) non temere factum esse ut dici soleret loco proverbi, facile adducimur ad suspicandum. Etenim tantum abest ut lexicographi animum deceperit memoria aciemve oculorum versiculus effugerit, ut nihil insignius inveniri eius cura ac diligentia in cognoscendis afferendisque poetarum comicorum sententiis inter viros doctos constet. Quocirca Aristophanis versum in proverbiis ducenti ei quid fuerit consili quidve caussae, non videtur alienum paucis dispicere. Adeone vero poetae comici quamvis principis tenemur admiratione ut, quaecunque ab eo dicta sunt, ea nobis ab ipsius indole ingeni profecta esse videantur? Imo Aristophanem quum multis locis tum in adumbrandis nationum moribus[3]) deorumque natura describenda non tam suam sententiam quam opinionem publicam secutum esse, quis est quin videat? Fuerunt quidem et qui impietatis ignominiam ei iniungerent et qui eum deorum contemptorum crimine liberarent:[4]) neutris adsentiet is, qui deos meminerit in ludibrium vocatos iam ab Homero,[5]) non ab Aristophane primo. Cui quum nullum deum saepius quam Dionysum, ad quem spectaculorum origo refertur,[6]) in scenam exhibuerit, idem fere contigit, quod nuper poetis, unde ludi paschales, qui dicuntur,

---

[1]) v. *διοίσειν*. — [2]) Nub. 503. — [3]) Cretenses, florentes iam Homeri temporibus praeter ceteros laude bellica Il. II., 645. arcu ornati Aeschylo vel puellae cuidam opitulantur Ran. 1356. 1406 haec Theodorus Kock: Zu den gewaltigen Bauten ihrer Könige hatten die Aegypter so ungeheure Lasten schleppen müssen (Herod 2, 124), daß sie den Griechen als eine Nation von geborenen Lastträgern galten. Vögel 1133 *Αἰγύπτιος πλινθοφόρος*. cf. Plut 149. Vesp. 12. 57. Ach. 158. Pax 468 seq. etc. — [4]) Th. Kock Aristophanes und die Götter des Volksglaubens. — [5]) Eius rei documenta passim sunt obvia: unum quo non invenias iucundius legitur Od. VIII., 266–345. — [6]) J. L. Klein Geschichte des Drama's I., p. 24: Wichtiger für unsern Zweck sind die Reinigungen der Götter selbst, vor Allem die des Apollon und des Dionysos von der Wuth der Bakcheia, weil diese Göttersühnen Anlaß zur Stiftung ihrer Sühnfeste gaben, und zu den an diesen Festen mimetisch verbildlichten Darstellung jener Sühne: . . . der Dionysossühne an bestimmten durch Chordarstellungen gefeierten Jahreszeiten, die sich im Verfolge zu den attischen Dionysien ausbildeten, den eigentlichen Festzeiten der dramatischen Spiele.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

originem ceperunt. His vero res sacras voluptatibus oblectationibusque publicis adhibentibus veniam damus, non adductis piis eorum animis in suspicionem: ab Aristophane aeque atque illi vestigia trita premente deos patrios ac penates irrisos esse nos non pigebit credere? Verum ne rem apertam explanantes operam perdamus, nec qualis Dionysus vel Hercules comice fingatur nec de accusatorum sudore vel algore patronorum fusius ac copiosius videtur exponendum. Illud tamen constare arbitramur, Aristophanem Atheniensibus haud ita raro cibos ab ipsis paratos praebuisse nec non expromsisse in scena dicta forensia. Quod quum de aemulis studiorum ac laborum diserte confirmaverit,[1]) non iniuria ipse suus accusator potest haberi. Ut enim caetera omittamus, haec de Cleone memorat:[2]) *ὃς μέγιστον ὄντα Κλέων' ἔπαισ' ἐς τὴν γαστέρα, κοὐκ ἐτόλμησ' αὖθις ἐπεμπηδῆσ' αὐτῷ κειμένῳ'* nihilominus vel apud inferos eum ridet,[3]) multitudini se auribus diverbia accommodare intellegens. Iam vero qui potest fieri ut poeta non recusans, quominus vulgari popularique sensui serviat, philosophiam vulgarem quandam, i. e. proverbia neglegat? Ergo nec unde Aristophanes versum *Οὐδὲν διοίσεις* . . . petierit obscurum delitescit, et Suidam patet recte de proverbio statuisse.

Talia autem, inchoata abhinc tres annos de prosopographia Aristophanea quaestione, ideo hoc loco praemisimus, quod tribus eius partibus propositis unam de philosophis nunc est in animo profligare atque absolvere. Cui negotio nisi poetam nec facetias alienas nec domesticas civium narrationes nec proverbia nec omnino vulgi opinionem respuisse tibi persuaseris, non licet ab omni parte satisfieri. Quodsi vero opinioni confirmatae, ut ait Cicero,[4]) natura ipsa cedit, unde poeta odiis civilibus agitatus resistendi vim repetebat? Ac quum de Socrate Cleone Euripide quaereremus, non magis Aristophanis quam philosophorum et historicorum praesto erant testimonia, unde poeta et quantum famae quantumque suo ingenio ad ridendum propenso indulgeret et quibus rebus deciperetur et quantum deberet hominibus perversitate insignibus, liceret dignosci. Iam vero in iis quae sequuntur, deficientibus haud ita raro veterum scriptorum testimoniis, nisi in loco investigandi veri falsive norman iudicique dubii praesidia atque adminicula quaedam inveneris, quo quidque spectet quantumque valeat ad dirimendam controversiam hic illic obviam, non audeas affirmare. Quid? quod

---

[1]) Nub. v. 537—544

ἥτις (ἡ κωμῳδία) πρῶτα μὲν
οὐδὲν ἦλθε δαψαμένη σκυτίον καθειμένον,
ἐρυθρὸν ἐξ ἄκρου, παχύ, τοῖς παιδίοις ἵν' ᾖ γέλως·
οὐδ' ἔσκωψε τοὺς φαλακρούς, οὐδὲ κόρδαχ' εἵλκυσεν,
οὐδὲ πρεσβύτης, ὁ λέγων τἄπη τῇ βακτηρίᾳ.
τύπτει τὸν παρόντ' ἀφανίζων πονηρὰ σκώμματα,
οὐδ' εἰςῆξε δᾷδας ἔχουσ', οὐδ' ἰοὺ ἰοὺ βοᾷ,
ἀλλ' αὐτῇ καὶ τοῖς ἔπεσιν πιστεύουσ' ἐλήλυθεν.

[2]) Nub. 549. — [3]) Ran. 569 et 579 invocatur ut patronus a caupona quadam. — [4]) Tuscul. III., 1.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

eiusmodi ratione disceptandi neglecta in rebus minume dubiis est haesitatum multumque peccatum?[1]) Atque huc imprimis ea spectant, quae de condicione monuimus comoediae non modo ex poetae ingenio pendentis, verum etiam ex sollertia civium omnium. Sed iam ad philosophos transeamus. Non solum de iis sermo erit, qui hac quoque aetate nobili philosophorum nomine insigniantur, verum si qui operam navaverint litteris artibusque colendis ac promovendis. Nam ut sophistas ita citharoedos artificesque in numero philosophorum habere consuevisse Graecos veteres, documento sunt quum Aristophanis fabulae tum philosophorum rhetorumque libri.[2]) Illorum omnium qualem Aristophanes effinxerit imaginem, ita spectare lubet ut, quicunque ante huius poetae aetatem fuerunt, velut Aesopus Eumolpus alii, commemoratione gaudeant rara, quoniam nec aetati, de qua quaerimus, cognoscendae prosunt nec poetae artificium declarant. —

AESCHINES et Selli filius[3]) et, quia nimia promittere solebat nec non iactabundus videbatur, alio loco filius exhibetur Selartii[4]): eandem ob caussam nomen invenit ridiculum ligni mendacis et fumi.[5]) Quae eius iactantia spectabat ad divitias, quibus ut prorsus carebat ita mirum quantum gloriabatur. Etsi enim nusquam reperiuntur nisi in Nubicuculia,[6]) tamen multas se legatum in Thraciam missum asportasse canit.[7]) Neque alienae, ut aiunt, culinae studiosus alias expromit divitias nisi cantum et facete dicta: est enim vir sapiens et musicus.[8]) Ac talem quidem hominem Aristophanes in theatro spectantibus obtulit ridendum. — Jam vero quae fuit ridendi caussa? An delectatos esse Athenienses aut Aeschinis fame aut cognomine fumi?

---

[1]) Klein II. p. 117. In Ansehung der Sophisten überhaupt läßt sich von Aristophanes' Ansicht kein Jota rauben. Quasi vero Grote Britannus ineptiat, quum his plane contraria probaverit Geschichte Griechenlands übers. v. Meissner IV., p. 572 sqq. Rectius Klein de Socrate haec.: Ar. mochte um jene Zeit den Sokratos nur aus Mittheilungen und Anekdoten kennen, die ihn denselben in keinem wesentlich verschiedenen Lichte zeigten, als in welchem ihm die Sophisten selbst erschienen, modo ne Aristophanem aliquamdiu fabellis lepidis, sed semper multum tribuisse dixerit. Non probabiliter de Socrate nuper disseruit K. Mendelssohn Bartholdy Neue Jahrbücher 1867 I., p. 27. seq. — [2]) Nub. 331 seq. cum adnotatione Theodori Kock. Cf. Hesych. v. *φιλόσοφος· ὁ πάντων πειραθείς, φιλομαθής· φιλοσόφους τέ φασι Λυδούς* (fortasse *ἰδίως* i. e. peculiariter) *τοὺς κιθαριστὰς καὶ μουσικούς· οἱ ἀρχαῖοι σοφοὺς καὶ φιλοσόφους καὶ σοφιστὰς ἔλεγον.* Ita sine dubio verba sunt coniungenda remotis vocabulis *φιλόστοργος· φιλότεκνος* in alium locum. Quid sibi velit *Λυδοὺς* post verbum *φασι* positum, equidem haudquaquam comprehendo, id quod Ruhnkenio quoque accidisse video *ἀοιδοὺς* requirenti. Mauricius Schmidt mavult *φασὶ νῦν τοὺς* et *οὓς οἱ ἀρχαῖοι σοφοὺς καὶ σοφιστὰς ἔλεγον.* Quod ipsi coniectando adsecuti sumus *ἰδίως* medicinam corrupti loci non efficaciorem putamus adiectivo *ἐλλογίμους.* Illud utique probari volumus, *Λυδοὺς* quia vocabulum articulo caret, neutiquam posse ferri. Adde huc *σοφιστής* et Suidam v. *φιλοσοφεῖν*; praeterea schol. Nub. 331. *Πλάτων γοῦν ὁ κωμικὸς ἐν δράματι Σοφισταῖς καί τὸν Ὀπούντιον αὐλητὴν Βακχυλίδην εἰς τοὔνομα κατέταξε τῶν σοφιστῶν· καταχρηστικῶς δὲ νῦν ἐπὶ πάσης ἐπιστήμης παρέλαβε τὸ ὄνομα τῶν σοφιστῶν.* — [3]) schol. Av 823. Vesp. 325. — [4]) Vesp. 459. — [5]) Vesp. 325 et 459. — [6]) Av. 823. — [7]) Vesp 1243. — [8]) V. 1242.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Alterum non in Aeschine solo spectabant sed in multis aliis, velut in Amynia[1]) et Theoro,[2]) alterius inventio non tam ad Aristophanem est referenda quam ad Eupolidem.[3]) Non est profecto in propatulo iocus, verum tamen vulgaris ac tritus idemque unicus dedeceret poetam celeberrumum. Quapropter cur Aeschinem appellaverit et Selli et Selartii filium videamus. Quia neutrum verum: immo ludendi gratia perquam ingeniose ac facete est fictum a genealogo multis locis posteros decipiente. Namque licet Aeschines Aristophaneus Socratico non sit dissimilis,[4]) tamen viri docti quominus de uno cogitarent, patris nomen videbatur obstare.[5]) Nos quidem respicientes ad Psacadis filium,[6]) ad *Κοάλεμον Ποσειδῶνα ἄνθρωπον Προκρούστην*,[7]) ad *χοιρία Τραγασαῖα*,[8]) ad *Μαριλάδην Εὐφορίδην Πρινίδην*[9]) multosque alios a vero non arbitramur nos aberrare, festive denominatum Sellum a Sellis ac pro heroe quodam patronoque famelicorum eorumque gloriosorum habitum esse statuentes. Sellos enim quum Homerus *ἀνιπτόποδας* et *χαμαιεύνας* dixerit eosdemque *ὑποφήτας* i. e. Jovis sacerdotes exhibuerit,[10]) eis quodammodo impertivit et paupertatis et iactantiae personam. Inde grammaticus quidam.[11]) et post hunc Suidas[12]) aliique recte statuerunt, *σελλίζειν* idem significare atque *ἀλαζονεύεσθαι*: iidem tamen in errore versantur, ubi poetae facetiis decepti Aeschinem affirmant filium fuisse Selli eius, unde *σελλίζειν* sit repetitum. Qui enim fieri potuit ut ab homine obscuro ac prorsus ignoto verbum *σελλίζειν* nasceretur, quum Sellorum inde ab Homeri temporibus nobilium memoria neutiquam esset obliterata ac deleta? Quid? quod verborum genere in *ίζειν* desinentium eius ipsius vel hominis vel rei, unde derivantur, non filiorum notatur natura prava. Verum enim vero Aristophanes non Sellum, sed eum, quem huius vocat filiumt in numero hominum gloriosorum duxit.[13]) Ac si quid in hac quaestione resta,

---

[1]) V. 1267. — [2]) 1220. — [3]) Meineke frag. poet. comoed. II, p. 474. — [4]) Diog. Laert. — [5]) cf. Aristoph. comoed. a Philippo Ivernizio emendatae tom. VII., p. 374. — [6]) Ach. 1102 — [7]) Eq. 221. Av. 1638. Eccl. 1021. — [8]) Ach. 808. — [9]) Ach. 609—12. [10]) Il. XVI. 235. — [11]) schol. Av. 823. — [12]) v. *Θεαγένους* et *σεσέλλισαι*, quae adnotatio sic finitur: *ὁ γὰρ Αἰσχίνης πένης ὢν ἐθρύπτετο ἐπὶ πλούτῳ, λέγων ἑαυτὸν πλούσιον. ἦν δὲ Αἰσχίνης Σέλλου· ἐκ μεταφορᾶς δέ ἔλεγον τοὺς τοιούτους Σέλλους· καὶ τὸ ἀλαζονεύεσθαι σελλίζειν.* cf. Meineke. I., p. 146. not. — [13]) Praeter schol et Suid. cf. Photium p. 375 et Hesych. v. *σεελλίσαι. Φρύνιχος ἐν Κρόνῳ. Ἄγαμαι, Διονῦ, σοῦ στόματος, ὡς σεσέλλισαι· κεκόμπακας πολλάκις· Αἰσχίνης τις ὑπῆρχε, Σέλλου καλούμενος, ἀλαζὼν καὶ ἐν τῷ διαλέγεσθαι καὶ ἐν τῷ προσποιεῖσθαι πλουτεῖν, πενόμενος καθ' ὑπερβολήν, ὡς τοὺς παραπλησίους τούτῳ καλεῖσθαι. . . .* ita ex correctione Augusti Meineke Progr. schol. 1811, quam vir doctissumus iterum imprimendam curavit in fragm. poet. comoed. antiq. tom. II., p. 584—85. Hoc loco dubitationem de origine verbi *σελλίζειν* similem nostrae animadvertentes haud mediocriter laetamur. „Ad verbum *σελλίζεσθαι* ut redeam, inquit, falluntur haud dubie veteres grammatici, qui id ab Aeschine illo, quem Selli filium Aristophanes Vesp. 325 dicit, repetendum putant. Nomen *Σέλλος* sive *Σέλλιος Σελλεύς Σίλλιος* et *Σιλλεύς*, antiquitus ad notandam importunorum pauperumque hominum (*πτωχαλαζόνων*) ostentationem et iactantiam usitatum fuit. Ita multis ante Aristophanem annis Archilochus Batusiadem hariolum Sellei filium dixerat Hesychius, *Σελληϊάδεω* (recte cod *Σελληΐδεω*: *Σελλέως υἱός, ὁ μάντις Βατουσιάδης τὸ ὄνομα.* Non enim dubitari posse

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dubitationis, facile evanescet considerantibus nobis, Amyniam quoque induci filium Selli.[1]) Nec hercle aliam ob caussam Pronapi filius[2]) patrem invenit Sellum, nisi ut hominis pauperis similisque Aeschini vana ostentatio prestringeretur. Ex quo nec patronum illum ludicrum famelicorum Atheniensibus fuisse ignotum intellegitur et quam vere in exordio huius dissertationis iudicaverimus de poetis subauscultando excipientibus opinionem vulgarem. Caeterum quam securus fuerit Aristophanes de crimine adulteratae ridendo veritatis, testimonio potest esse inprimis filius Selartii[3]) idem, qui Selli: is ut nos, nisi grammatici *σχόλιον* cognoverimus, facile capitis dolore afficiet propter diversam originem vocis *Σέλλου* et *Σελαρτίου*, ita non est dubium, quin Atheniensibus in theatro spectantibus, cognita ac perspecta usquequaque fingendi arte poetae dulcissumi, oblectationi fuerit mirae. Sed quoniam, quid ridiculi haereat Aeschini Aristophaneo, iam liquet, qualis re vera fuerit videamus.

A Diogene Laertio octo Aeschines ita enumerantur,[4]) ut Selli mentio fiat nulla, immo cuius ingenium ac mores non discrepent ab Aeschine Aristophaneo, eum facit filium Charini tucetarii vel Lysaniae.[5]) Praeterea inde comperimus Aeschinem a puero fuisse laboriosum adeoque Socratis diligentem, ut ne in vincula quidem coniectum eum sequi dubitaret suaderetque fugam: cuius consili auctorem alios Critonem statuisse. Propter inopiam profectum esse in Siciliam ad Dionysium, ubi a Platone neglegeretur. Verum tamen quum Aristippus eum commendasset tyranni gratiae, dialogis quibusdam datis, dona eum accepisse. Inde Athenas reducem non ausum esse magistri publici nomen profiteri, florentibus tum in philosophia Platone Aristippo utriusque discipulis, ex declamationibus autem mercedem habuisse: postea periclitantibus in iudiciis adfuisse, quum non esset omnino rudis artis dicendi: nihilominus egentiorem mansisse Socrate. Ac de paupertate confirmat Athenaeus,[6]) quum, ut solet, garrule tradat, Platonis malignitate ab Aeschine paupere unum discipulum Xenocratem abalienatum esse. Itaque sive magistri munere fungi non licebat, sive una cum Socrate fungebatur munere non luculento,[7]) tabernam unguentariam exercere constituit.

---

videtur, quin haec ad Archilochum referenda sint, a quo Batusiadem illum graviter vexatum esse docet celebris ille versus „*ἐν δὲ Βατουσιάδης*“ apud Hephaest. p. 39 aliisque locis. Atque hinc lux oboritur loco Aristid. Orat. 46 vol. II. p. 380 ed. Dind. *Ἀρχίλοχος — Λυκάμβην, Χειδόν, καὶ τὸν δεῖνα τόν μάντιν καὶ τὸν Πρικλέα — καὶ τοὺς τοιούτους ἀνδρώπους κακῶς ἔλεγεν.* Quibus verbis ipse ille hariolus Batusiades significatur, quem Archilochus Sellei filium eodem consilio vocavit, quo Aristophanes l. l. Aeschinem et Vesp. 1267 Amyniam. Nec postea eam dicendi rationem plane obsolevisse. Homeri haud ignobilis grammatici et poetae Alexandrini exemplum docet, cui ititidem Sellii cognomen haesit. . . .

[1]) Vesp. 1267. — [2]) Vesp. 74. — [3]) schol. Vesp. 459 *ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν Σέλλου ἐπαίξεν ἐπεκτείνας Σελαρτίου, ἵνα πάλιν ὡς καπνὸν κωμῳδήσῃ καὶ ψευδόπλουτον, παρὰ τὸ σέλας· ὁ γὰρ καπνὸς τοῦ σέλαος γέννημα.* — [4]) Vit. Aesch. II. c. 7. fin. — [5]) ibid. init. *Αἰσχίνης, Χαρίνου τοῦ ἀλλαντοποιοῦ· οἱ δὲ Λυσανίου, Ἀθηναῖος, ἐκ νέου φιλόπονος διὸ καὶ Σωκράτους οὐκ ἀπέστη* cf. Vit. Socrat II. 16. — [6]) XI. 507. c. — [7]) Diogen. Laert. II. c. 5. 20. *καὶ γὰρ πρῶτος (ὥς φησι καὶ Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ) μετὰ τοῦ μαθητοῦ Αἰσχίνου ῥητορεύειν ἐδίδαξε.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cui consilio quum inopia obstaret, factum est ut aes alienum contraheret.[1]) Hinc quas molestias traxerit, centum salientibus circa pectus et caput curis, ex iis licet videri, quae Lysias rhetor Aeschinis accusandi gratia scripsit.[2]) Non credideram, iudices, inquit, Aeschinem ausurum caussam tam inhonestam dicere, qua turpior invenitur nulla. Iste enim vir, iudices, quum pecuniam deberet Sosinomo mensuario et Aristogitoni, ad me accessit, ne fenore se trucidari paterer petiturus. Etenim tabernam unguentariam, inquit, exercere cupio: iam vero eius artis tironi pecunia opus est, isque singularum minarum fenus novem obolos feret . . . Itaque quum persuasum mihi esset, Aeschinem vera dicere, hunc Socratis discipulum, qui multos de iustitia ac virtute libros scripsisset, non putabam ea unquam ausurum esse, quae nisi homines nequissumi atque iniustissumi patrare non conantur. His postquam rhetor addidit, nec sortem nec usuras ab Aeschine exsolvi solere orationem sic continuat: Nec mihi soli, iudices, iniuriam fecit, sed omnibus, si quid ei commodarunt. Nonne caupones vicini, unde potulenta non dato pretio sumit, ut ei litem intendant, tabernas claudunt? Omnesque vicini tam iniqua ab eo patiuntur, ut relictis domiciliis procul ab isto alia conducant. In iis, quae sequuntur, nova congerit rhetor in Aeschinem convicia, sed quia non videntur vera[3]) haec iam omittere lubet. Nec veremur, ne animi aut accusatorii aut temerarii esse videatur, in suspicionem vocare illius studium veritatis. Etsi enim Aeschini non tam mores pravos, quam miseram pauperis hominis condicionem exprobrat, tamen a iudicibus hominem perditissumum vult haberi eum, qui sibi non solum Socratis consuetudine et dialogis scriptis[4]) quasi monumentum quoddam exegerit probitatis, verum etiam a Platone probus appellatus

---

[1]) Boeckh Staatsh. d. Athen. p. 66. et 183. — [2]) Apud Athen. XIII. 611 c. seq. [3]) Quantopere rhetorum calumniis memoria sit turbata praeclare exposuit A. Schaefer: Demosthenes und seine Zeit, cuius hanc unam satis erit attulisse sententiam vol. I., p. 305. Es ist ein trauriges Zeichen der Sittenlosigkeit jener Zeit daß alle Redner ihre Angriffe auf den Gegner durch sittlichen Makel zu würzen suchten: nicht minder war es der Komödie Brauch geworden nicht sowohl das Laster zu geißeln und an den Pranger zu stellen, als durch leichtfertigen und unbegründeten Spott den lüsternen und scandalsüchtigen Sinn des Volkes auch auf Kosten der Wahrheit zu nähren. Das sind die beiden Quellen solches Geschwätzes, dem Demosthenes so wenig wie ein anderer bedeutender Mann entgangen ist, und das von manchen Schriftstellern der Diadochenzeit mit besonderer Vorliebe zusammengetragen wurde. — Unde Lysias invenerit a Cicerone epitheton picti — Brut LXXX., 293 Equidem in quibusdam risum vix tenebam, quum Attico Lysiae Catonem nostrum comparabas . . . Lysiae, quo nihil potest esse pictius — ex veritatis superlatione collegas velim, qua Aechinis paupertatem illiberalitatemque notavit (Athen. XIII, 612. d — f.): *τοσοῦτοι δὲ ἐπὶ τὴν οἰκίαν ἅμα τῇ ἡμέρᾳ ἀπαιτήσοντες τὰ ὀφειλόμενα ἔρχονται ὥστε οἴεσθαι τοὺς παριόντας ἐπ' ἐκφορὰν αὐτοὺς ἥκειν τούτου τεθνεῶτος' . . . ἀλλὰ γὰρ οὐ τὴν οὐσίαν κέκτηται Ἑρμαίου τοῦ μυροπώλου, τὴν γυναῖκα διαφθείρας ἑβδομήκοντα ἔτη γεγονυῖαν; ἣν ἐρᾶν προσποιησάμενος οὕτω διέθηκεν, ὥστε τὸν μὲν ἄνδρα αὐτῆς καὶ τοὺς υἱοὺς πτωχοὺς ἐποίησεν, αὐτὸν δέ ἀντὶ καπήλου μυροπώλην ἀπέδειξεν. οὕτως ἐρωτικῶς τὸ κόριον μετεχειρίζετο, τῆς ἡλικίας αὐτῆς ἀπολαύων, ἧς ῥᾷον τοὺς ὀδόντας ἀριθμῆσαι ἢ τῆς χειρὸς τοὺς δακτύλους.* — [4]) Athen. XIII. 611 d.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sit.[1]) Quare notent et rhetores et poetae comici virum pietate insignem, dummodo ne dixerint eum fraudibus malisque artibus obnoxium fuisse. Ac nescio an in Aeschinem eo propensior Aristophanis ira fuerit, quo minus ille bonae aliorum famae videtur pepercisse.[2]) Si enim usquam, at certe hoc loco ab Athenaei garrulitate non improbabilia repeti possunt. Plurumorum, inquit, philosophorum ingenium magis est accusatorium quam poetarum comicorum, siquidem etiam Aeschines Socraticus in Telauge et Critobuli, Critonis filii, ignorantiam sordesque ridet, et Telesantem rhetorem non mediocriter carpit: iam vero in Aspasia Hipponico, Calliae filio, cognomen indidit futuo, mulieres vero Ionidas omnes appellat meretrices deditasque quaestui. Nec quae Plutarchus memoriae prodidit, Aeschinem placidum ac moderatum designant. Is enim sic:[3]) Aristippus ira adversus Aeschinem aliquando oborta, interrogatus a quodam, ubi nunc vestra illa, Aristippe, amicitia? dormire eam respondit, sed se in eo esse, ut eam resuscitet. Et Aeschinem conveniens, Itane, inquit, prosum ego tibi infelix et insanabilis videor, ut me castigatione indignum putes? Tum Aeschines: Nihil, inquit, miri est, si in aliis rebus omnibus ingeniosior, etiam hic prior sensisti, quid facto opus esset. Quamquam haec vituperatio alio loco in laudem convertitur:[4]) Aeschines, inquit Plato, moribus, si quisquam Socratis familiarium, probis est aptusque ad castigandum verbis eos, quibuscum agit: qui longo mari emenso, ut tecum philosophice colloqueretur, huc profectus neglegitur. Haec ita permoverunt Dionysium, ut et Platonem statim manu iniecta sit amplexus, benevolentiam hominis animique magnitudinem admiratus: et Aeschinis honeste ac magnifice rationem habuerit. Haec narratio non indigna est visa commemoratione, non quin homo litigiosus ac morosus possit esse probus, sed quia Plato Aeschini amicus exhibetur, quocum non solum in Siciliam profectus sit, sed etiam Dionysii gratiae commendaverit. Plane his contraria enim ab Athenaeo[5]) et Diogene Laertio[6]) accepimus. Sed si quis quaerat, utrum his an Plutarcho maior sit fides habenda, hunc illis non dubitamus praeferre. Similis est virorum doctorum controversia de dialogis. Fuerunt qui Socratis dialogos Aeschini obtigisse contenderent beneficio Xanthippae:[7]) quae cuiusmodi sit fabella, non operae videtur pretium, pluribus exponere, nata est sine dubio inde, quod dicendi genus admodum sapit Socraticam rationem. Neque quisquam hic infitias ibit, cognitis disputandi reliquiis, quas Cicero oblivioni eripuit.[8]) Iam vero, ut omnia, quae de Aeschine quem Aristophones ridendi gratia exhibuit Selli vel Selartii filium, constare videntur, una comprehensione complectamur: fuit hic Charini vel Lysaniae filius, Socratis discipulus ac socius satis nobilis,[9]) nullius disciplinae philosophicae auctor

---

[1]) Plut. *Πῶς ἄν τις διακρίνειε* p. 67. — [2]) Athen. V., p. 220 a. — [3]) *Περὶ ἀοργεσίας*, p. 462. — [4]) Plut. *Πῶς ἄν τις διακρίνειε τὸν κόλακα τοῦ φίλου* p. 67. — [5]) XI., 507. c. — [6]) Vit. Aeschin. et Vit. Platon. III., 24. — [7]) Athen. XIII. 611 d. — [8]) De invent. I., 31. cf. Brut. 8, 292. — [9]) Diog. Laert. II., 5. 26. *Τῶν δὲ διαδεξαμένων αὐτόν, τῶν λεγομένων Σωκρατικῶν, οἱ κορυφαιότατοι μὲν Πλάτων, Ξενοφῶν, Ἀντισθένης· Τῶν δὲ φερομένων δέκα οἱ διασημότατοι τέσσαρες, Αἰσχίνης, Φαίδων, Εὐκλείδης, Ἀριστιππος.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

contentusque explanandis magistri praeceptis,[1]) unde et alii dialogi[2]) originem duxerunt et Axiochus,[3]) idemque vitam in paupertate degit, haud dissimilis caeteris suae aetatis philosophis. –

ANTIPHON non Sophili, sed teste grammatico quodam[4]) Andocidae filius. Non est enim difficile ad probandum, eum in errore versari, qui haec scripsit:[5]) „Et hunc Antiphontem pauperem et famelicum fuisse ostendit. Fuit autem Sophili filius rhetorum decem, quorum vitas descripsit Plutarchus primus, quique *δικανικὸν χαρακτῆρα* extulisse dicitur post Gorgiam, a persuadendi felicitate et arte Nestor olim vocatus et *λογομάγειρος*. De eo magnifice scripsit Thucydides laudavitque supra omnes: floruit quo tempore quadringenti regnabant. Lege plura de eo apud Philistratum iuniorem in vitis sophistarum. Plutarchus ex Caecilio eum facit Thucydidis discipulum, sed verisimilior testis est Suidas, qui *διδάσκαλον*, non *μαθητὴν* dixit Thucydidis. Fertur enim fuisse Antipho *αὐτοδιδακτος* et, ut dicitur post paulo, *θυμόσοφος*. Scholiastes Graecus hunc Antiphontem facit Andocidae filium, quod mihi nec persuadeat ipsa Antiphontis *πειθώ*, ut putem ista Graeca scholia frustra esse diversorum male conglutinata.“ Hic ut multos errores eosque graves silentio praetereamus, cur non persuadeat commentarii Graeci scriptor, non invenitur caussa probabilis. Ab Aristophane refertur Antiphon inter famelicos adulatoresque, qui ut stomacho latranti satisfacerent, victum quaerebant scurrilitate. Id vero non solum ab Antiphonte Rhamnusio, verum a quovis rhetore alienum poeta putabat:[6]) contra hanc ipsam ob caussam et philosophos sophistasque[7]) et citharoedos[8]) et sacerdotes[9]) notabat. Quocirca Andocidae filius et quem Suidas,[10]) omisso patris nomine, appellat *τερατοσκόπον καὶ ἐποποιὸν καὶ σοφιστήν* idem videtur putandus. Ac si caetera Sophili filium designarent, non deceret oratorem multimodis negotiis districtum Hippyli Lyconis Lysitrati,[11]) hominum nugatoriorum consortium. Sed de sophista praeter nomen pauca innotuerunt, ut ne coniectando quidem de eius vita investiges aliud, quam quod Aristophanes risit: idque est tale, cuius omnes fere philosophi ac sophistae culpam sustinentes fingantur. Etiam dispersae adnotationis genere adhibito hic parum proficias. Apud Ciceronem nihil praeter nomen et divinationem — *τερατοσκόπος* et *ὀνειροκρίτης* apud Suidam — reperitur.[12]) Neque Plutarchus novam memoriae lucem admovit afferendo Antiphontis iudicium de sideribus, quale prorsus deceat

---

[1]) A. Brandis Geschichte der Entwickelungen der griech. Philosophie p. 246: Andre trugen das Bild des edlen Mannes Zeit Lebens im Herzen, fanden sich auch wohl veranlaßt, wie Xenophon und Aeschines, darzustellen, was sich ihnen davon eingeprägt hatte und klar geworden war. — [2]) Diog. Laert. Vit. Aeschin. eos recenset. — [3]) Suid. v. *Ἀξίοχος*. — [4]) schol. Vesp. 1270. — [5]) Ivernizz. VII, p. 580. — [6]) Vesp. 1114—1121 et passim eorum avaritia perstringitur cf. Plut. Antiph. p. 833 c. — [7]) Nub 102–4 et passim. — [8]) Av. 1372 sq. — [9]) Av. 851. sq. — [10]) v. *Ἀντιφῶν· Ἀθηναῖος, τερατοσκόπος καὶ ἐποποιὸς καὶ σοφιστής·* Perperam vulgo additur *ἐκαλεῖτο δὲ Λογομάγειρος* id epitheton non minus ad Antiphontem Rhamnusium pertinet, quam *ὀνειροκρίτης*, quo tertium quendam Antiphontem insigniri vult, ad Andocidae filium. — [11]) Vesp. 1351. — [12]) De divin. I., 20. 39. — I., 56. 116. — II., 70. 144.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

portentorum interpretem.[1]) Eius de moribus quae Xenophon posteris tradidit,[2]) sophistam designant divitiarum lautiarumque oppido appetentem: contemptim enim loquens inducitur de Socratis continentia et paupertate. Atque adeo sui impotens erat, ut, quum ipse divitias non haberet, artium ac litterarum qualiumcunque usus ope, divitum mensis accumberet.[3]) Eiusmodi vir sordidus num a triginta tyrannis per insidias sit interfectus, parum liquet: namque in vita Antiphontis, quam vulgo Plutarcho tribuunt,[4]) trium virorum memoriam in unum quasi corpus quoddam coaluisse iam pridem intellectum est. —

ANTISTHENES non propter morum, sed naturae vitia bis male audivit. Ac primum quidem a Blepyro quodam, alvo obstricta, vocatur:[5])

Οὗτος γὰρ ἀνὴρ ἕνεκά γε στεναγμάτων οἶδεν, τί πρωκτὸς βούλεται χεζητιῶν. Eundem alius civis facile omnia sua in commune collaturum suspicatur,[6]) *πολὺ γὰρ ἐμμελέστερον πρότερον χέσαι πλεῖν ἢ τριάκονθ' ἡμέρας.* Haec multi nescio quo pacto de Antisthenis avaritia acceperunt.[7]) Ego si quid video, hominem, cuius venter dicatur suppressus, hoc loco promittere omnia sua, scilicet excrementa, per triginta dies se lubentur ac statim redditurum affirmaverim: interim caeteri cives ultimum mensis diem exspectabunt — Eccl. 796 *κἂν ἕνης ἔλθῃς* — et quemadmodum plebiscito satisfaciant, deliberabunt. Ac ne quis iocum ut obscoenum ita frigidum aegre ferat, quid nobis in mentem venerit, ingenue iam confitebimur. Etenim non solum poeta, sed etiam eius interpres[8]) Antisthenem dixerunt medicum. Quam quanti ille aestimaverit artem, patet ex Pluto:[9])

τίς δῆτ' ἰατρός ἐστι νῦν ἐν τῇ πόλει,
οὔτε γὰρ ὁ μισθὸς οὐδὲν ἐτ' ἔστ' οὔθ' ἡ τέχνη.

Nonne hinc verisimile videtur, artis vitio ad naturam hominis festive translato Antisthenem morbis quibusvis unam medicinam, purgationem, adhibentem induci? Quo tandem consumatur medicina alvum solvens, ipse plus triginta dies continuos iubetur cacare. Nullum praeterea animadvertimus opprobrium, omnesque interpretes de spurcis et legibus naturae repugnantibus lubidinibus cogitantes decepti sunt epitheto *τῶν καταπρώκτων*,[10]) quod ad solum Amymonem pertineat. —

ARIGNOTUS et **ARIPHRADES**, Automenis filii, quorum patrem fuerunt qui, neglecto Aristophanis testimonio, Ariphradem dicerent.[11]) Aliisque locis eorum

---

[1]) *Περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις* H., 28 *Ἀντιφῶν, ἰδίῳ φέγγει λάμπειν τὴν σελήνην· τὸ δ' ἀποκρυπτόμενον περὶ αὐτὴν, ὑπὸ τῆς προσβολῆς τοῦ ἡλίου ἀμαυροῦσθαι· πεφυκότος τοῦ ἰσχυροτέρου πυρὸς τὸ ἀσθενέστερον ἀμαυροῦν· ὁ δὴ συμβαίνει καὶ περὶ τὰ ἄλλα ἄστρα.* — [2]) Memor. I., 6. — [3]) Vesp. 1301. — [4]) *Βίοι τῶν δέκα ῥητόρων* I. — [5]) Eccl. 366—68. — [6]) Eccl. 806—8. — [7]) Iverniz. vol. VII., p. 762. Primum de Antisthene supra locutus est, ut de viro durum cacante. Hic vero etiam avarum fuisse innuit, ut Callimachum pauperem . . . [8]) schol. Eccl. 366 *ἰατρὸς θελυδριώδης· καὶ οὗτος τῶν καταπρώκτων.* — [9]) v. 407. cf. Nub. 332 medici inter fraudulentos gloriososque recensentur: *ἴσθ' ὅτι πλείστους αὗται (αἱ Νεφέλαι) βόσκουσι σοφιστάς, Θουριομάντεις, ἰατροτέχνας, σφραγιδονυχαργοκομήτας.* — [10]) Eccl. 364. — [11]) schol. Vesp. 1275 *Ὁ Αὐτομένης ἔσχε τρεῖς υἱούς, τὸν μὲν κιθαρῳδόν, τὸν δὲ ὑποκριτήν, τὸν δὲ τῷ στόματι αἰσχρουργοῦντα.* Contra vid. Eq. 1277.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

memoria oppido est turbata, ut quanto alter alteri antecesserit vel virtutibus vel vitiis, neutiquam constet. Videntur tamen virorum hac aetate doctorum animi non magis ad laudandum Arignotum, quam ad Ariphradem accusandum inclinare.[1]) Quod quo iure possit fieri, ipsi videant. Nimirum hunc ab Aristophane *παμπόνηρον* nuncupari,[2]) illum non solum *ἅπασι φίλον*, verum etiam *ἄνδρα σοφώτατον* et *κιθαραοιδότατον*.[3]) O seri studiorum, qui ex filii nequitia Automeni cognomen felici — Vesp. 1379 *ὦ μακάρι Αὐτόμενες, ὥς σε μακαρίζομεν* — inditum esse putetis! Quid enim? non utitur poeta ironia? Delete innumerabiles comoediarum versus, tamen interpretum non ignobilium restabunt documenta.[4]) Nonne superlativi *χειριτεχνικωτάτους*, *κιθαραοιδότατον*, *θυμοσοφικώτατον* hic nescio quid miri sonantes omnia, quae v. 1279—1285 continentur, ironice dicta aperiunt? Etiam in iis, ubi poeta Arignoto honestum amici ac citharoedi nobilis nomen dedit,[5]) plus indignationis ac stomachi videtur inesse, quam laudis: noster quidem animus ultimo versu aeque commovetur, ac si percipiat Horatianum illud:[6]) „Nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum" vel Aristophaneum[7]) „*ὅτε δὴ παρέκυψε Χαῖρις ἐπὶ τὸν ὄρθιον*. Ita etsi neutri fratri videtur Aristophanes pepercisse, tamen graviore ira cum Ariphrade pugnavit, turpissumis ac plane nefandis flagitiis se obviam ire simulans. Est autem (Ariphrades), inquit,[8]) non tantum malus, nec enim hoc sensissem, neque pessumus tantum, verum etiam insuper excogitavit quiddam. Linguam enim suam polluit turpibus voluptatibus, et in ganeis lambens despuendum illum rorem et inquinans barbam et conturbans labra pudendorum et Polymnesteia carmina faciens et consuescens cum Oenicho. Non sane levia ista sunt opprobria: num etiam vera? Credat Judaeus Apella, non ego: namque impudicos scio non usque eo pudicitiae expertes, ut securi ferant testes facinorum in quibus vel noctem dixeris erubescere. Caussa igitur fabellae de Ariphrade cunnilingo aut sermones forenses putandi sunt famaque vaga aut monstrosum poetae commentum. Cur potius de commento cogitandum videatur, haecce est caussa. Arignotum, quoniam citharoedus erat nobilissumus maxumique ab Atheniensibus aestimabatur, non ausus esse videtur aperte suggilare laudandique genus arripuit, quo multis seculis post Horatius Romanus in simili condicione Hermogenem Demetrium alios momordit.[9]) Uterque enim poeta eo gravius in citharoedos cantores modulatores

---

[1]) De turpitudine Arignoti adeas Iverniz. v. VII., p. 581. et vol. VI., p. 317. Hoc loco Arist. dixisse Arignotum notum esse omnibus arbitrantur alludentem adsignificationem vocis *ἀρίγνωτος*, i. e. valde notus aut notabilis. Nihil praeter laudem tribuit ei Kock adn. ad. v. Eq. 1276. Der Dichter erwähnt den ihm befreundeten (?!) Arignotos bei diesem schmutzigen Handel nur deswegen, weil an seinem bekannten Namen Jeder sogleich einen Anhalt hat für den bis dahin noch unbekannten seines sauberen Bruders. Cf. schol. Vesp. 1282 *ὅτι φίλως ἐῴκει ἔχειν πρὸς τὸν Ἀρίγνωτον, ἐν τοῖς Ἱππεῦσι δῆλον*. — [2]) Eq. 1283. — [3]) Vesp. 1275—83. — [4]) schol. Eq. 1278. *οὗτος οὖν ὁ Ἀρίγνωτος διεβάλλετο καὶ ὡς ἀρρητοποιός . . . εἰρωνεύεται δὲ πρὸς αὐτόν, ὅτι οὐκ ἂν αὐτοῦ ἐμνήσθην χρηστοῦ ὄντος, εἰ μὴ εἶχε πονηρὸν ἀδελφόν*. — [5]) Eq. 1276—79.— [6]) Sat. I., 10. 19. — [7]) Ach. 16. — [8]) Eq. 1282—87. — [9]) cf. Kirchner Quaest.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

odium videtur suscepisse, quo plus eos apud multitudinem gratia valere animadverterent. Neque enim quidquam unquam severorum hominum animos magis offendit, quam auctoritas, quam semidocti nugatoresque — Vesp. 1281 *μαθόντες παρὰ μηδενὸς, ἀλλ' ἀπὸ σοφῆς φύσεως* — interdum obtinent. Huc accedit, quod Aristophanes non solum omne cantorum genus aspernabatur, verum etiam poetas aequales moleste ferebat[1]) lyricosque fere omnes contemnebat[2]) propter mollitiem moresque pravos. At horum ipsorum carmina citharoedi lubentissume canebant, ut non minus sophistis viderentur nocere reipublicae. Quodsi iam Arignoto Aristophanes irascebatur, fieri non potuit, quin Ariphradem, quem non solum parvi duceret cantorem, verum etiam opinaretur sinistre praecipere de pulchro venustoque, omnino detestaretur. Is enim ab Anaxagora litteris imbutus[3]) praeceptoris nomen feminarum nobilium videtur professus esse: certe quidem reperitur inter mulieres multa verba faciens[4]) idemque alio loco turpium quorumvis lupanarium amicus iudicatur.[5]) Atque hic mulierum usus sine dubio subministravit cunnilingi nomen. Erat autem Ariphrades non solum puellarum praeceptor et modulator,[6]) verum etiam, teste Aristotele,[7]) poetarum iudex insolens. Num quando de Aristophanis quoque fabulis inique iudicaverit, nec confirmaverim nec negaverim: certe quidem poeta in genere litterarum, quod Ariphrades colebat, satis sentiebat offensionis.

ARISTYLLUS, Aristonis filius,[8]) idem cum Aristonis Platone.[9]) Ab hoc de veteris comoediae indole inquirentibus uberrumus contingit fructus, quippe quum ex calumniis, quibus Plato, laudata quum caeterorum bonorum tum communione

---

Horat. I., p. 42 sqq. Horat. Sat. I, 3. 129. — 4. 72. — 9. 25. — 10, 18. 80 et 90. Contra vid. quae Cicero memoriae prodidit Ad Div. VII., 24. 2. — Ad Attic. XIII., 45 — 50.

[1]) Nub. 1355 seqq. — [2]) Alcaeus Thes. 161 sep. traducitur tamquam mollis: quare falso dixit Didymus, eius carmina non *ἐπιπολάσαι*, sed alius citharoedi Alcaei: idem exprobat Anacreonti Thes. 161. — [3]) Athen. V. 220 b. *ὁ μὲν Πρόδικος Θηραμένην μαθητὴν ἀπετέλεσεν, ὁ δ' ἕτερος (Ἀναξαγόρας) Φιλόξενον, τὸν Ἐρύξιδος καὶ Ἀριφράδην τὸν ἀδελφὸν Ἀριγνώτου τοῦ κιθαρῳδοῦ, θέλων ἀπὸ τῆς τῶν δηλωθέντων μοχθηρίας καὶ περὶ τὰ φαῦλα λιχνείας ἐμφανίσαι τὴν τῶν παιδευσάντων διδασκαλίαν.* — [4]) Eccl. 129. — [5]) Vesp. 1283. — [6]) Eq. 1287 *Πολυμνήστεια ποιῶν καὶ ξυνῶν Οἰωνίχῳ.* — [7]) Ars. poet. XXII. 14 *ἔτι δὲ Ἀριφράδης τοὺς τραγῳδοὺς ἐκωμῴδει, ὅτι ἃ οὐδὲν ἂν εἴποι ἐν τῇ διαλέκτῳ, τούτοις χρῶνται· οἷον τὸ δωμάτων ἄπο, ἀλλὰ μὴ ἀπὸ δωμάτων· καὶ τὸ σέθεν· καὶ τὸ ἐγὼ δέ νιν· καὶ τὸ Ἀχιλλέως πέρι, ἀλλὰ μὴ περὶ Ἀχιλλέως· καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα· διὰ γὰρ τὸ μὴ εἶναι ἐν τοῖς κυρίοις ποιεῖ τὸ μὴ ἰδιωτικὸν ἐν τῇ λέξει ἅπαντα τοιαῦτα· ἐκεῖνος δὲ τοῦτο ἠγνόει.* Quo Ariphradis iudicio nihil magis prodit hominem leviter eruditum ideoque mulierculis consuescentem. cf. Suid transcripsit Aristiph. versus v. *Ἀριφράδης.* — [8]) Hesych. *Ἀριστύλλος· Ἀρίστωνος.* — [9]) Meinek. fragm. p. 1162. Etymol. M. p. 142. *Ἀρίστυλλος ὄνομα παρ' Ἀριστοφάνει* (cod. August. apud Titmann. ad Zonaram I. p. CXXVI. *παρ' Ἀριστοφάνει ἐν Τελμησσοῖς*). *εἴρηται δὲ ὑποκοριστικῶς ὁ Ἀριστοκλῆς . . .* Tangere enim videtur Platonem, qui antea Aristocles vocabatur. Vid. Diog. Laert. III., 4.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

uxorum,[1]) et ab aliis morderetur[2]) et ab Aristophane cunnilingus induceretur,[3]) non solum inspergi esse solitos sale comico vel sanctissumos homines in libera re publica luculenter pateat, verum etiam eiusmodi facetias a poetis comicis arripi. Nec interpretes hoc loco miris abstinuere commentis,[4]) dummodo Aristylli commenticii imaginem quandam intuerentur. Nos tamen non decet retractare ea, quae egregia Augusti Meineke opera ac cura profligata sunt.[5]) Quamquam hoc unum non possumus reticere, versibus, quibus Aristyllus vel Plato cunnilingus carpitur, apte recteque explicatis, Ariphradi lucem oboriri.

ARTEMO Clazomenius,[6]) aequalis fere Aristidi fuit.[7]) Laudatur hic inventor ac machinator bellicorum tormentorum operumque, quibus ea, quae hostes ingenti mole agerent, ipse perlevi momento ludificaretur: idemque de Homero scripsisse traditur.[8]) Qui quum claudus esset, ubicunque eius indigebant opera, advehebatur, unde factum est ut, quorum artes, cuicuimodi essent, multis et magnis in rebus expeterentur omninoque, qui facultate aliqua excellerent aut quorum naturam quam plurumi admirarentur, vocabulo dicerentur Graeco *περιφόρητοι*, et tamquam proverbi loco haberetur illud *περιφόρητος Ἀρτέμων*.[9]) Ab altero Artemone,[10]) qui iam Anacreontis temporibus fuit,[11]) pueri quoque formosi, quorum multos traheret cupido, isto sunt nomine appellati.[12]) Atque ad hoc proverbium alludens Aristophanes, immutato paulum epitheto, sed simili sono dixit *περιπόνηρος Ἀρτέμων*,[13]) non Artemonis, sed Cratini ingenium moresque pravos notans: quare unde ad calumnias sit delapsus, non videtur explorandum. Poetae vero versum perquam memorabilem putamus, non magis propter proverbiorum usum quam propter audacem eorum immutationem. Plura de Artemone dedit W. Ribbeck.[14])

CALLIMACHI ut hominis pauperis ac miseri mentio inicitur:[15]) idque poeta pro consuetudine sua risit in chori magistro. Huius vitae quae sunt offusae tenebrae, eas nec licet fugare nec iucundum videtur, quia omnes omnium aetatum homines ignobiles putandi sunt sibi similes: musicosque constat carere Siculis dapibus.

CHAEREPHON non est dubium, quin perpetuus fuerit Socratis sodalis.[16]) Hinc factum est, ut eum Aristophaues non modo vitae verum etiam morum comitem

---

[1]) De Republ. p. 457 c. seqq. — [2]) Diog. Laert. III., 23. — [3]) Eccl. 646. et Plut 313. — [4]) schol. Plut. 314 *Ὁ Ἀρίστυλλος αἰσχρός· καὶ ἐν Ἐκκλ. μέμνηται αὐτοῦ ὡς αἰσχροποιοῦ . . αἰσχρουργον γὰρ αὐτόν φησι ποιητήν.* — [5]) Histor. crit. 287 seqq. — [6]) Suid. v. *Ἀρκτῖνος*. — [7]) Diodor. XII., 28. Plut. Pericl. 27. — [8]) Suid. *ὡς λέγει ὁ Κλαζομένιος Ἀρτέμων ἐν τῷ περὶ Ὁμήρου.* — [9]) schol. Ach. 850 *διὰ τὸ χωλὸν αὐτὸν εἶναι, ὅπου ἂν κατειλήφει πόλεμος καὶ χρεία μηχανῆς ἦν ἐπὶ τὸ τεῖχος καταβληθῆναι ἢ τὸ τοιοῦτον, μετεπέμποντο αὐτὸν φερόμενον· ἀπὸ τούτου οὖν ἡ παροιμία· καὶ πάντες οἱ σοφοὶ περιφόρητοι καλοῦνται.* — [10]) Hesych. v. *περιπόνηρος· εἰσὶ δὲ Ἀρτέμωνες δύο.* — [11]) Athen. XII. p. 533 f. — [12]) schol. *ἀπὸ τῆς παροιμίας . . . ταχθείσης ἐπὶ καλοῦ καὶ ἁρπαζομένου πρός πάντων παιδός.* — [13]) Ach. 850. — [14]) Die Acharner des Aristophanes, griechisch und deutsch p. 250. — [15]) Eccl. 809. *Καλλίμαχος δ' ὁ χοροδιδάσκαλος αὐτοῖσιν εἰσοίσει τι; . . . πλείω Καλλίου* et schol. ad. h. l. *Καίοὗτος πένης καὶ χαμαιδιδάσκαλος·* — [16]) Plat. Apol. Socrat. p. 21 *ἐμός ἑταῖρος ἦν ἐκ νέων.* Suid. v. *Χαιρεφῶν· τῶν ἄγαν γνωρίμων Σωκράτους.* cf. schol. Nub. 144.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Socrati adderet.[1]) Sed quemadmodum in adumbranda huius imagine non tam, quid verum esset, curavit, quam viri sanctissumi studiis commotus, quae non minus ridicula quam rei publicae perniciosa putaret, cachinnum sustulit: ita Chaerephontem talem in scenam misit, ut non lineamenta ingeni eius conlegeret, sed quemvis austerae disciplinae Socraticae philosophum carperet. Itaque vel in iis, quae ad speciem externam revocanda sunt, usque eo non possumus suspicione abstinere adulteratae veritatis, ut explosa opinione communi[2]) Chaerephontem genti Sphettiae tantummodo iocose adscriptum arbitremur.[3]) Ita Strepsiades Cicynniensis tribulem invenit in domo Socratis: nam Cicynna et Sphettus erant pagi Acamantidis tribus.[4]) Ita fortasse Aristophanes Chaerephontis morositatem atque iracundiam notavit, de qua pluribus exposuit Xenophon:[5]) proverbi loco enim acetum acre dicebant Sphettium,[6]) quare *Χαιρεφῶντα τὸν Σφήττιον* nihil aliud significare suspicamur, nisi Chaerephontem tristem ac morosum. Age vero totam eius imaginem comicam contemplemur! Etiam pallidior magistro apparet? Noli mirari: namque propter corporis gracilitatem nigrumque colorem et propter vocem exilem cognomen ei erat *Νυκτερίδι*.[7]) Qua iocandi opportunitate arrepta Eupolis Chaerephontem appellavit buxeum,[8]) Aristophanes non solum vespertilionem, sed etiam semimortuum,[9]) noctis filium,[10]) praeficae similem.[11]) Atque hunc quidem corporis habitum nescio an re vera contraxerit assiduo philosophiae studio, quo dies noctesque quasi intabesceret.[12]) Verumtamen si quis Socratis exemplo usus, nihil praeter lepida commenta de corporis natura apud Aristophanem inveniri contendat, non refragabimur, praesertim quum alia quid sibi velint convicia, velut *ἀλαζών* et *ἀνυπόδητος*,[13]) non ignoremus. Ac fieri potuit, ut non tam oris color quam lucubrationes — *ζητοῦντος αὐτοῦ τῆς σελήνης τὰς ὁδοὺς καὶ τὰς περιφοράς*[14]) — et vespertilionis et similia nomina suppeditarent. Etsi enim Socraticos constat non navasse operam physicis, tamen earum rerum studium non esse alienum ab eorum ingenio Aristophanes putabat: idque suo more declaravit:[15]) *ἀνήρετ' ἄρτι Χαιρεφῶντα Σωκράτης ψύλλαν, ὁπόσους ἄλλοιτο τοὺς αὐτῆς πόδας· δακοῦσα γὰρ τοῦ Χαιρεφῶντος τὴν ὀφρῦν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τὴν Σωκράτους ἀφήλατο*: et *ἀνήρετ' αὐτὸν Χαιρε-*

---

[1]) Nub. 104 *αἰβοῖ, πονηροί γ' οἶδα· τοὺς ἀλαζόνας, τοὺς ὠχριῶντας, τοὺς ἀνυποδήτους λέγεις· ὧν ὁ κακοδαίμων Σωκράτης καὶ Χαιρεφῶν·* Nub. 1465 *ὅπως . . . τὸν Χαιρεφῶντα τὸν μιαρὸν καὶ Σωκράτην ἀπολεῖς μετελθών, οἵ σὲ Κᾶμ' ἐξηπάτων·* — [2]) Suid. *δήμου δὲ ἦν ὁ Χωιρεφῶν Σφήττιος*, quod quum alii pro vero acceperunt tum Trosée: Expositio iudicii, quod Aristophanes tulit de principibus personis, quae in eius fabulis occurrunt p. 52; et Th. Kock not. ad v. 104 et schol. — [3]) v. 156. — [4]) schol. Nub. 156 *ἀπὸ δήμου τῆς Ἀκαμαντίδος φυλῆς·* — [5]) Memor. II. c. 3. — [6]) schol. Plut. 720 *ὄξει διέμενος . . (Σφηττίῳ δὲ) τῷ δριμυτάτῳ . . .* [7]) schol. Nub. 104 *ἐκαλεῖτο δὲ καὶ νυκτερὶς διὰ τὸ μέλας εἶναι καὶ ἰσχνόφωνος·* — [8]) cf. Meineke fragm. p. 516 *Χαιρεφῶντα διὰ τὴν χροιὰν πύξινον Εὔπολις καλεῖ Πόλεσιν* cf. Aristoph. Vesp. Tzetzes Exeg. Iliad. p. 12. Eustatt. p. 819 et 1350. — [9]) Nub. 504. — [10]) frgm. 486. — [11]) Vesp. 1412. — [12]) schol. Nub. 504 *ἐπεὶ ἰσχνὸς καὶ ὠχρὸς τὴν ἰδέαν ὁ Χαιρεφῶν, ἅτε φιλοσοφίᾳ συντετηκώς· ὅθεν νυκτερὶς ἐκαλεῖτο καὶ πύξινος.* — [13]) Nub. 104. — [14]) Nub. 171. — [15]) ibid. 145.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

φῶν ὁ Σφήττιος, ὁπότερα τὴν γνώμην ἔχοι τὰς ἐμπίδας κατὰ τὸ στόμ' ᾄδειν ἢ κατὰ τοὐρροπύγιον.[1]) Et quoniam a Graecis cum corporis deformitate pravitas morum coniungebatur, nihil est mirum, quod a Cratino ut αὐχμηρὸς et πένης,[2]) ab Eupolide ut Calliae adulator,[3]) ab Aristophane ut fur et sycophanta[4]) est notatus. Similes contumelias in Socratem vidimus congestas: qua in re ut alia omittamus, poetae animum eo offenderat, quod suae persuasioni quam legibus civitatis parere maluit. Quis vero aequalium Chaerephonte lubentius rerum caussas ab ipso homine repetebat, qui nullum deum maiore in honore haberet quam Apollinem Delphicum,[5]) γνῶθι σεαυτὸν praecipientem? Ac pro immoderato illo animi impetu[6]) laesis saepenumero adversariis, non est dubium, quin undique multum odi multumque invidiae sibi contraxerit, ut etiam magis ipsi quam Socrati boni cives irascerentur. Namque si quid ab adversario per iocum dictum esset, non cognitis vel sectarum philosophorum vel philosophorum et poetarum simultatibus, multi haud ita raro in serium videntur convertisse. Nec aliter fabulas de esurientibus philosophis natas crediderim: qui quum sophistis avaritiam obicerent,[7]) illi gratiam referentes fame hos laborare non dubitabant dictitare ac clamitare. Ex quo vero Chaerephon ab Eupolide adulatoris nomen audiverat, multos deinceps poetas ei parasiti personam imposuisse verisimile videtur. Neque enim idonea subest caussa, cur non Chaerephontem Aristophaneum eundem putemus cum eo, de quo Athenaeus comicorum ῥήσεις apposuit.[8]) Huius imaginis pars aversa paucis est ornata lineamentis, quae tamen Chaerephontem cavillantis Aristophanis iniquitatem satis superque comprobent. Effugerunt autem temporum iniuriam haec:[9]) ἐγχείρει τὸν ἄνδρα (Χαιρεφῶντα) καταπραύνειν, καὶ πάνυ ταχύ σοι ὑπακούσεται· οὐχ ὁρᾷς, ὡς φιλότιμός ἐστι καὶ ἐλευθέριος· τά μὲν γὰρ πονηρὰ ἀνθρώπια οὐκ ἂν ἄλλως μᾶλλον ἕλοις, ἢ εἰ δίδοιής τι, τούς δὲ καλοὺς κἀγαθοὺς ἀνθρώπους προσφιλῶς χρώμενος μάλιστ' ἂν κατεργάσοιο·

CHAERIS Thebanus,[10]) citharoedus idemque tibicen, caeteris musicis non magis probatur Aristophani eademque huic, quae illis inhaesisse dicuntur vitia. Hoc tamen differt ab Artemone Ariphrade aliis, quod non in conventibus muliercularum,

---

[1]) ibid. 156. cf. 171. — [2]) Meinek. vol. II., 131 affert schol. Platonis (apud Bekk. p. 331): Εὔπολις μὲν οὖν ἐν Πόλεσι διὰ τὴν χροιὰν πύξινον αὐτόν (Χαιρεφῶντα) καλεῖ, Ἀριστοφάνης δ' ἐν Ὄρνισι νυκτερίδα· ἐν δὲ Τελμησσεῦσιν εἰς συκοφάντην ἀποσκώπτει, Κρατῖνος Πυτίνῃ εἰς αὐχμηρὸν καὶ πένητα. — [3]) ibid. II., 490. — [4]) II., 1062 et 1162. — [5]) Plat. Apol. 21. Plut. adv. Colot. p. 1116. et Diog. Laert II., 18. — [6]) Suid. δοκεῖ γενέσθαι πάνυ θερμός . . . — [7]) Grote IV., 591. Nach der Erklärung des Cicero ist ein Sophist Jemand, der die Philosophie betreibt, um damit zu prunken oder Geld zu verdienen; was, wenn man es für einen Vorwurf zu halten hat, die modernen Lehrer hart treffen würde, welche ihrem Fache sich zu widmen und seine wichtigen Pflichten zu erfüllen, durch die Aussicht, dadurch entweder ihren Lebensunterhalt zu verdienen, oder eine Figur zu spielen oder auch Beides, bestimmt werden — mag ihnen nun diese Beschäftigung gefallen oder nicht. — [8]) VI., c. 42 seqq. — [9]) Xenoph. Memor. II., c. 3. 16. — [10]) schol. Achar. 866.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sed quum sacrificia fierent, in honorem deorum vocatus invocatus canebat.[1]) A poetis comicis in eorum numero habetur, qui „semper eadem oberrare chorda" didicerint:[2]) etiam inferiorem quam Meletem, citharoedum plane contemptum, Pherecrates eum iudicavit.[3]) Neque singulare, imo commune est vitium musicorum, ut distortis membris canant: ac tale quid obiectatur Chaeridi non minus voce *παρέκυψε*,[4]) quam Peisthetaeri admiratione:[5]) *παῦσαι σὺ (Χαῖρις) φυσῶν· Ἡράκλεις, τουτὶ τί ἦν; τουτὶ μὰ Δί' ἐγὼ πολλὰ δὴ καὶ δεινὰ ἰδών, οὔπω κόρακ' εἶδον ἐμπεφορβιωμένον·* Operam dedisse autem arti musicae eum narrant, ut victum quaereret:[6]) nihilominus et honestum philosophi nomen invenit[7]) et multos habuit sectatores ac discipulos.[8]) Qui cur aeque ac praeceptor vituperentur ut mali tibicines, non fugiet eos, quos, cuiusmodi artificiis calumniisque poetae musici omninoque artifices omnibus temporibus consueverint sese persequi ac pungere, non lateat. Nobis quidem, lectis iterum atque saepius poetarum comicorum fabulis, persuasum est, Aristophanem etiam iniquiorem exstitisse in musicos, quam in sophistas Platonem. A poetae interpretibus non videtur repetenda famae iniquae medicina: non solum fabellas confirmant[9]) verum novarum auctores sunt putandi, velut ubi citharoedum a tibicine non distinxerunt[10]) tertiumque Chaeridem a Cratino carpi tradiderunt.[11]) Quod pro vero potest affirmari, hisce paucis continetur: Aristophanis aetate Chaeris fuit citharoedus idemque tibicen, quem quum musicorum nemo illi in deliciis esset, sale comico sic inspersit, ut easdem, quas saepe facetias expromeret.

CINESIAS, Meletis citharoedi filius,[12]) poeta carminum cycliorum sive dithyrambicorum, huic quaestionis parti videtur inserendus ut musicus et quia dithyramborum originem ad ea referunt tempora, quibus inter poetas et philosophos nihil interfuerit.[13]) De Cinesiae patria inter sese viri docti digladiantur: aliis enim probantur interpretes adsignantes patriam poetae Thebas,[14]) alii, in his Mei-

---

[1]) Av. 858 sacerdos quidam eum vocat: *συνᾳδέτω δὲ Χαῖρις ᾠδάν.* Pac. 951 chorus eundem abominatur: *ὡς, ἢν Χαῖρις ὑμᾶς ἴδῃ, προςδώσετε δήπου.* — [2]) Ach. 26 *τῆτες δ' ἀπέθανον καὶ διεστράφην ἰδών, ὅτε δή παρέκυψε Χαῖρις ἐπὶ τὸν ὄρθιον.* — [3]) Suid. *Χαῖρις·* — [4]) Ach. 16. — [5]) Av 858. — [6]) schol. Av. 858. *ὡς αὐτομάτως ἐπιόντος αὐτοῦ ταῖς εὐωχίαις·* — [7]) Boisson. Anecd. IV., p. 410. — [8]) Ach. 866 *πόθεν προςέπτανθ' οἱ κακῶς ἀπολούμενοι ἐπὶ τὴν θύραν μοι Χαιριδεῖς βομβαύλιοι;* cf. schol. ad h. l. — [9]) Ach. 16 *ὁ Χαῖρις οὗτος κιθαρῳδὸς καὶ αὐλῳδός φαῦλος.* — [10]) schol. Pac. 951 *τῶν περὶ τὰς θυσίας αὐλητῶν ἦν ὁ Χαῖρις· ἦν δὲ καὶ ἕτερος κιθαρῳδός·* contra cf. schol. Av. *ἦν δὲ οὗτος κιθαρῳδὸς ψυχρὸς καὶ γέγονεν αὐλητής* cf. Suid. v. *Χαῖρις* et Ribbeck. l. l. p. 191—92. — [11]) schol. Av. *ἔστι καὶ ἕτερος αὐλητής, οὗ μνημονεύει Κρατῖνος ἐν Νεμέσει* cf. Suid. — [12]) Plat. Gorg. p. 501. — [13]) Klein I., p. 109. — [14]) schol. Ran. 153 *ἦν δὲ Θηβαῖος,* hinc Scholia Graeca ed Duebner p. 639 Cinesias Thebanus: videntur autem decepti hoc versu Lysistr. 852. *Παιονίδης Κινησίας,* de Paeonia patria cogitantes, quum nugator idemque verborum architectus parum religiosus ad exclamationem dithyrambicis usitatam frequentemque *ἰὴ Παιών* adlusisse videatur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

neke,[1]) Atheniensem suo iure contendunt. Etenim Plutarchus de gloria Atheniensium disserens[2]) Athenisque quemquam negans floruisse pangendis carminibus lyricis eius iudici caussam attulit hanc: *ὁ γὰρ Κινησίας ἀργαλέος ἔοικε ποιητὴς γεγονέναι διθυράμβων*. Novum errorem obtinere conantium, duos fuisse poetas Cinesias, omittamus post insignem Augusti Meineke operam.[3]) Nec de patre Melete constat: Plato comicus Platoni philosophe repugnat[4]) *μετὰ ταῦτα δὲ Εὐαγόρου παῖς ἐκ Πλευρίτιδος Κινησίας κτλ*. Hunc locum depravatum suspicatur Meineke: equidem a viro doctissumo sic dissentio ut nec cantorem circumforaneum, qualis fuisse traditur Meles,[5]) iocose cognominatum esse Euagoram mirer, et matris nomen Pleuritidis inventum esse opiner propter filii valetudinem.[6]) Ut enim temporis ratione neglecta ab Aristophane incipiamus, in Gerytade Cinesiam semimortuum appellat,[7]) in Avibus tiliaceum,[8]) quia pectori, ne corpus eius ob proceritatem gracilitatemque flecteretur, teste Athenaeo[9]) tabellas tiliaceas applicare soleret, in Ranis[10]) tam levem inducit, ut Cleocrito censeat applicandum pro alis. Multorum poetarum imprimisque Platonis iudicia de infirma atque aegra Cinesiae valetudine collegit Meineke[11]) plane securus de sinceritate hominum: nobis enim aut involucris rerum mire ludieris videntur usi, velut quum Aristophanes pedis claudi mentionem faceret, de quo schol. Av. 1379 *ἐπειδὴ κυλλὸς ἦν ὁ Κινησίας· τοῦτο δὲ οὐκ ἔστιν εὑρεῖν· ἀλλ' ἐπειδὴ πολὺ παρ' αὐτοῖς ἐστι τὸ ποδὶ λευκῷ, καὶ ποδὶ κούφῳ, καὶ πόδα τιθείς, ἤ τι τοιοῦτον, τὸ κυλλὸν προςέθηκεν*, aut modum excessisse in cavillando. Qui quum Cinesiam adeo vitiis obrutum sibi persuasissent, ut ne deorum quidem numen laedere dubitaret,[12]) fieri non potuit, quin gravissumas scelerum poenas deos ab eo repetere suspicarentur. En testimonium

---

[1]) Fragm. p. 229. Nec plus ea de duobus poetis Cinesiis opinio firmamenti habet in eo, quod quem reliqui Atheniensem dicunt, Thebanus perhibetur a Scholiasta Aristoph. Ran 151 *ἦν δὲ Θηβαῖος μελοποιός κάκιστος*, ubi *Θηβαῖος* proclivi errore scriptum est pro *Ἀθηναῖος*. — At non librarii, sed schol. errore *Θεβαῖος* scriptum apparet. Nam quum inter poetas lyricos principatum obtineret Pindarus Thebanus, qui non unius generis angustiis ingenium circumscripsisset, sed fere omnes artis lyricae modos ac vicissitudines complexus esset, usu venit, ut interpretum temeritas saepe ad Thebas tamquam ad patriam lyricorum delaberetur. cf. Chaeris. — [2]) p. 348. — [3]) Fragm. p. 229. – [4]) apud Galenum ad Aphorism. hypomn. VII., p. 322. — [5]) schol. Av. 858 et Plat. Gorg. p. 502a. — [6]) Fragm. p. 680. — [7]) Fragm. p. 1006. — [8]) v. 1377 *φιλύρινον*. — [9]) XII. p. 551d. *φιλύρινον Κινησίαν διὰ τὸ φιλύρας τοῦ ξύλου λαμβάνοντα σανίδα συμπεριζώννυσθαι, ἵνα μὴ κάμπτηται διά τε τὸ μῆκος καὶ ἰσχνότητα*. — [10]) v. 1437. — [11]) Histor. crit. p. 230—31. cf. fragm. p. 680. — [12]) Ran. 330 et alios poeta theatro arcendos censet et qui *κατατιλᾷ τῶν Ἑκαταίων, κυκλίοισι χοροῖσι ὑπᾴδων*. Haec quemadmodum accipi soleant, aperuit Th. Kock not. ad h. l. Die Kapellen und Bildnisse der Hekate benutzte Kinesias als Abtritt, da er doch als kyklischer Dichter zur Ehrfurcht gegen die Götter ganz besonders verpflichtet war. Huic sententiae portentosae, spreta omni in virum ceteroquin ingeniosissumum iniquitate ac malignitate, non possumus suffragari propter locutionem *κυκλίοισι χοροῖσιν ὑπᾴδων*, quae manifesto aperiat conspurcandi rationem hanc: inquinat Hecates mysteria carminibus. Itaque poeta vel eos excecratur Ran. 153, *εἰ Πυρρίχην τις ἔμαθεν Κινησίου*, nullam ad aliam rem nisi ad impietatem hominis adludens. Apud Suid.[4] v. *κατατιλᾷ*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Lysiae rhetoris:[1]) *Θαυμάζω δὲ εἰ μὴ βαρέως φέρετε ὅτι Κινησίας ἐστὶν ὁ τοῖς νόμοις βοηθός. ὃν ὑμεῖς πάντες ἐπίστασθε ἀσεβέστατον ἁπάντων καὶ παρανομώτατον ἀνθρώπων γεγονέναι· οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τοιαῦτα περὶ θεοὺς ἐξαμαρτάνων, ἃ τοῖς μὲν ἄλλοις αἰσχρόν ἐστι καὶ λέγειν, τῶν κωμῳδοδιδασκάλων δ' ἀκούετε καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν; οὐ μετὰ τούτου ποτὲ Ἀπολλοφάνης καὶ Μυσταλίδης καὶ Λυσίθεος συνειστιῶντο, μίαν ἡμέραν ταξάμενοι τῶν ἀποφράδων, ἀντὶ νουμηνιαστῶν κακοδαιμονιστὰς σφίσιν αὐτοῖς τοὔνομα θέμενοι, πρέπον μὲν ταῖς αὐτῶν τύχαις· οὐ μὴν ὡς τοῦτο διαπραττόμενοι τὴν διάνοιαν ἔσχον, ἀλλ' ὡς καταγελῶντες τῶν θεῶν καὶ τῶν νόμων τῶν ἡμετέρων· ἐκείνων μὲν οὖν ἕκαστος ἀπώλετο ὥςπερ εἰκὸς τοὺς τοιούτους· τοῦτον δὲ τὸν ὑπὸ πλείστων γινωςκόμενον οἱ θεοὶ οὕτως διέθεσαν ὥςτε τοὺς ἐχθροὺς αὐτὸν βούλεσθαι ζῆν μᾶλλον ἢ τεθνάναι παράδειγμα τοῖς ἄλλοις, ἵν' ἴδωσιν ὅτι τοῖς λίαν ὑβριστικῶς πρὸς τὰ θεῖα διακειμένοις οὐκ εἰς τοὺς παῖδας ἀποτίθενται τὰς τιμωρίας, ἀλλ' αὐτοὺς κακῶς ἀπολλύασι, μείζους καὶ χαλεπωτέρας καὶ τὰς συμφορὰς καὶ τὰς νόσους ἢ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις προςβάλλοντες· τὸ μὲν γὰρ ἀποθανεῖν ἢ καμεῖν νομίμως κοινὸν ἅπασιν ἡμῖν ἐστι, τὸ δ' οὕτως ἔχοντα τοσοῦτον χρόνον διατελεῖν καὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἀποθνήσκοντα μὴ δύνασθαι τελευτῆσαι τὸν βίον τούτοις μόνοις προςήκει τοῖς τὰ τοιαῦτα ἅπερ οὗτος ἐξημαρτηκόσιν.* Recte rhetor Cinesiam a poetis comicis saepe exagitatum esse declamavit, siquidem ab ipso Strattidis fabula quaedem denominata traditur:[2]) de crimine vitae scelestae non reddidit rationem idoneam. Ex iis enim, quae et ipse attulit et poetae comici risere, nihil aliud evincitur, nisi dithyramborum poetam, more maiorum relicto, Socratis similem extitisse, quod ad res sacras attinet. Neque *συκοφαντίας* crimine[3]) Cinesiam tetigit: nemo poetarum aliena vitia aucupantium ei sordidum delatoris nomen dedit, etsi multa contra eos, ne chorum adipiscerentur, machinatus esse dicitur.[4]) Ac re vera ei contigit, ut *χορηγίας* tolleret, id quod ex cognomine *χοροκτόνου* intellegitur.[5]) Quam rem poetas non modo aegre tulisse, verum etiam pro se cepisse poenas sane videtur probabile. Atque Aristophanes ut maciem corporisque gracilitatem non iniuria risit, etsi more suo multa nimis auxit, ita mollitiae libidinumque Cinesiae[6]) non alius iudex videtur habendus atque Ariphradis et Aristylli vel Platonis. Reliquum est, ut paucis exponendum videatur de Cinesiae poesi. Qua in re viri docti, praeeunte Plutarcho,[7])

---

tam multa interciderunt, ut in lubrico versarere, si singula emendare suoque reponere loco cuperes: tamen ex reliquiis turbatis colligitur, lexicographum non alia cogitasse, sed de mysteriis Hecates Cinesiae carminibns violatis. Contra cf. v. *Πυρρίχη*, ubi tamen modo non omnia reperiuntur descripta ex schol. Ran. 153.

[1]) apud Athen p. 551e. – 552b. — [2]) Harpocrat. p. 216 *Στράττις ὅλον δρᾶμα ποιήσας εἰς αὐτόν...* – [3]) Athen. p. 551e. – [4]) Schol. Ran. 153 *Ὁ Κινησίας ἐπραγμονεύσατο κατὰ τῶν κωμικῶν, ὡς εἶεν ἀχορήγητοι.* – [5]) schol. Ran. 404. cf. Boeckh Staatsh. I., p. 607. — [6]) Lysistr. 846 seq. Hic non poetam traduci suspicatur Th. Kock, incertum quibus caussis ductus, vid not. ad Ran. 153 fin. — [7]) De glor. Athen. 348b *Κινησίας ἀργαλέος ποιητής.* — De music. p. 1141e. Pherecrat. musicam talia conquerentem facit: *Κινησίας δέ, ὁ κατάρατος Ἀττικός, ἐξαρμονίους καμπὰς ποιῶν ἐν ταῖς στροφαῖς ἀπολώλεκέ με...*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

credulorum mentibus inculcare consueverunt, magna cum contemptione de illo Aristophanem ideo loqui, quod pessumus fuerit poeta.[1]) Equidem impietatem eius carpi nihil adversor, non reperio artis pravitatem. Neque enim acceptus esse poterat poetae aetatem belli cum Persis gesti admiranti homo rerum novarum usque eo cupidus, ut in Avibus cum Peisthetaero, in Lysistrata cum mulierculis insanientibus tentare ac periclitari fortunam vellet: quare ab hoc ille Hecates myteria violata dixit, non quo artem tangeret, sed ut maiorum pietatem in deos neglegentem induceret. Quid vero? de arte nonne contemptim loquitur Av. 1385, eius *ἀεροδονήτους καὶ νιφοβόλους ἀναβολάς* ridens? Id non magis in Cinesiam, teste scholiasta,[2]) quam in caeteros cadit dithyrambicos, qui quo carminum inanitatem tegerent, „ampullas et sesquipedalia verba proicere" adamaverint. Quod si deesset testimonium, tamen non facile haesitares dubius, cognito carminis[3]) exordio *Ἀναπέτομαι δὴ πρὸς Ὄλυμπον* . . quod Anacreonti debetur.[4]) Satis inconsiderate hoc loco multi Cinesiae poesis exemplum comprehendisse sibi videntur. Iidem etiam magis errant, ex Platonis libris praesidi nescio quid accedere suae opinioni arbitrantes. Is enim in Gorg. p. 504e omnibus fere suo more poesis generibus improbatis Cinesiae aequalis facit mentionem, ut omnem citharoedorum et dithyrambicorum artem voluptatis gratia inventam esse doceat. Cur vero hunc ipsum Cinesiam in disquisitionis suae gyrum vocaverit, caussa, opinor, non potest esse, quod eum tamquam poetam malum contemnebat, sed quod eum praeter caeteros florere in dithyrambico poesis genere videbat.[5]) Neque a Suida vituperatur Cinesiae poesis, excepto uno loco, qui ex schol. misere descriptus est.[6])

CLEOCRITI, sacerdotis vel, quod apud Xenophontem relatum legimus,[7]) mystarum praeconis, vastum et pingue corpus ridetur, quippe cuius mater fuerit Cybele Struthio[8]) cuique Cinesias levis alarum instar applicandus sit, ut se possit movere.[9]) Eiusmodi facetiae nobis adeo arrident, ut insipidis schol. commentis facile careamus.[10]) Eundemque fuisse cum Cleocrito Xenophonteo declarat quum Cybeles commemoratio[11]) tum avaritia et edacitas, pinguis corporis nutrimenta, quarum nomine poeta omnium sacerdotum sensus solitus sit titillare.[12]) Plura vid. apud Meinek. fragm. p. 475.

CONNUS vel CONNAS, Metrobii filius[13]) citharoedus idemque tibicen,[14]) magnam artis musicae laudem sibi comparavit. A Cratino *Κοννᾶς πολυστέφανος*

---

[1]) Meinek. fragm. p. 130. Th. Kock Ausgew. Komöd. des Aristoph. t. III, p. 66. — [2]) ad. v. 1383 *παίζει δὲ πρὸς τὰ ποιήματα τῶν διθυραμβοποιῶν· ἔθος γὰρ αὐτοῖς τοιαῦτα ἐπίθετα λέγειν·* — [3]) Av. 1372. — [4]) schol. ad l. l. — [5]) Id confirmat Arist. vox Av. 1404 *ταῖσι φυλαῖς περιμάχητός εἰμ' ἀεί* cf. Lys. 853 seq; ubi Kock alium quendam Cinesiam traduci perperam suspicatur. — [6]) cf. v. *Φιλύρινος* c. not. schol. Av. 1378. — [7]) Hell. II., 4. 20. — [8]) Av. 877. — [9]) Ran. 1436. Sed hic vers. iam ab Aristarcho habebatur pro spurio. — [10]) cf. Suid. v. *Κλεόκριτος·* — [11]) Lobeck. Aglaoph p. 1020 Cybeles collegia post sacra peracta vino epulisque indulgere consuevisse autumat: easque epulas ad adipes Cleocrito creandos contulisse consentaneum est. [12]) Cf. Ran. 479. Ach. 1087. Plut. 1180 seq. c. schol. — [13]) Plat. Euthyd. p. 272c. — [14]) cf. Winkelmann Proleg. ad. Plat. Euthyd. p. 39 et Meinek. histor. cr. not. p. 203.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

celebratur,[1]) quam vocem schol. Eq. 531. illustravit: *Οὗτος Ὀλυμπιονίκης γενόμενος καὶ πολλάκις στεφανωθεὶς* . . Quid igitur mirum, quod a nobilissimis viris, velut a Socrate, pro praeceptore est expetitus?[2]) Propter hunc discipulum senem a poetis comicis ei cognomen *γεροντοδιδασκάλῳ* inditum esse Plato tradidit.[3]) Lubentissume vero eius inopiam videntur risisse. Aristophanes quidem bis eius mentionem iniciens, altero loco[4]) comparat Cratino seni coronam aridam gestanti sitientique, altero loco[5]) impotentem nuncupat. Sed quoniam Olympionicarum, qualis Connus perhibetur, cura erat publica, sequitur, ut et fabulam de eius egestate censeamus reiciendam, et ut adhibeatur omne cautionis genus eius modi rebus diudicandis suadeamus. Etenim non piget identidem adseverare, omnes musicos paupertatis macula a poetis comicis inspersos esse. Quemadmodum autem interpretes a paupertate ad ebriositatem vitamque dissolutam delabantur, vid. Suid. v. *Κοννᾶς* et schol. Plura de Conno dedit Meineke fragm. p. 201 seq.

DEXITHEUS, citharoedus,[6]) non caret vate, verum tamen pro artis ignobilitate, praesertim quum virtutis suae praeconem invenerit poetam comicum, „ignotus urgetur longa nocte," sive post Moschum quendam, sive vitulum ablaturus praemium cecinit.

DIAGORAS Melius,[7]) Teleclidis vel Teleclyti filius,[8]) Pindaro aequalis,[9]) adolescens faciebat carmina insignem pietatem spirantia.[10]) Cuius quum patria sub Atheniensium potestatem venisset, omnes adulta aetate Melios trucidatos auctor est Thucydides.[11]) Poetae vero sancti vitae etsi pro pietate Graecorum parsum est, tamen Diagoras non videtur effugisse servitutem. Ita enim Suidas: *ὃν εὐφυῆ θεασάμενος Δημόκριτος ὁ Ἀβδηρίτης ὠνήσατο αὐτὸν δοῦλον ὄντα μυρίων δραχμῶν καὶ μαθητὴν ἐποιήσατο·* Brevi post et patroni consuetudine studioque philosophiae et iniqua servitutis, quae ei obvenerat, sorte et quia aliis angustiis conflictatus est,[12]) dei ac rerum divinarum contemptor exstitit eoque crimine non solum ab Aristophane,[13]) verum a multis scriptoribus mordetur.[14]) De mysteriis ab ipso violatis eiusque fuga vide, quae diligenter enarravit Meier in Halensium Encyclopaedia.

---

[1]) Mein. fragm. p. 222. — [2]) Cic. Epist. ad fam. IX., 22. 3 Socratem fidibus docuit nobilissimus fidicen. Is Connus vocitatus est. — [3]) Euthyd. l. l. — [4]) Eq. 534. — [5]) Vesp. 675 *σὲ μὲν ἡγοῦνται Κόννου Ψῆφον.* vid. quae schol. Suid. et Hesych. explicandi gratia addidere et corrige *Ψόφον.* — [6]) Ach. 13 14 cum schol. *ἄριστος κιθαρῳδὸς καὶ Πυθιονίκης· οἱ δὲ ψυχρὸν αὐτὸν εἶναί φασιν.* — [7]) Apud Plutar. De placit. philos. I., 7 Diagoram perperam Milesium vocatum iam observavit Bentleins Fragm. Callim. 86. — [8]) Suid v. *Διαγόρας·* — [9]) Suid l. l. ubi praeterea Diag. Ol. LXXVIII. viguisse fertur. — [10]) cf. Fragm. apud Bergk Anthol. lyr. p. 366. adde, quae de hoc poeta lyrico disputavit Meinek. Histor. cr. p. 526. — [11]) V. 116. Non obstat huic sententiae temporum ratio, quum Nubes, in quibus v. 830 Diagorae fit mentio, Aristophanem bis docuisse nemo ignoret. — [12]) cf. Suid. l. l. — [13]) Praeter Nub. vid. Av. 1073 et Ran. 320 c. not. interpretum. — [14]) Cic. de nat. deor. I., 1. 2, 23. 63, 42. 117, III., 37. 89. Aelian. De nat. anim. VI. 40 Var. histor. II. 23 et 31: adde Athen. p. 611b et quos laudat Lobeck. Aglaoph. p. 1285.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

DIOPITHES inter hariolos vulgo refertur eos, „qui ne risum praeberent astutioribus furendo et vaticinando, non sua sed veterum oracula recitabant et explicabant. Sic χρησμολόγος quidam apud Aristoph. Av. 963. 975 Bacidis oraculum ex libro profert, apud Xenophontem est Diopithes μάλα χρησμολόγος ἀνὴρ εἰπὼν ὡς Ἀπόλλωνος εἴη Χρησμὸς φυλάξασθαι τὴν χωλὴν βασιλείαν Hell. III., 3. 150. idque oraculum ἀνέγνωσκεν, ut Plutar. dicit Agesil. III., 73 qui eum μαντειῶν παλαιῶν ὑπόπλεων vocat.[1])" Eius imaginem, qualem Aristoph. adumbravit, intuentes vereor, ne Lamponem vel Stilbidem conspicere sibi videantur: adeo sui similes harioli finguntur. Erat autem Diopithes, nisi poetae testimonium spernere mavis, avarus,[2]) audax atque gloriosus,[3]) fraudulentus.[4]) Haec omnia ut conveniunt in caeteros illius aetatis fatidicos, ita hac aetate sacerdotibus parem gratiam referri a plerisque poetis nemo ignorat. Qua in re multum discriminis in eo est positum, quod nunc accusatorum malignitas indagandis publicandisque totius ordinis sacerdotalis erroribus operam dare consuevit, tum vero etiam singulorum hominum integritatem morum suspectam reddere licebat. Cur igitur poetae comici Diopithem vel Lamponem plebeiis aeruscatoribus componere dubitarent,[5]) qui vel Telephum regem pro mendico ponerent Nub. 922 iidemque Socratem et Chaerephontem furti ignominia notarent? Ac si unquam ab hariolis Graeci decepti sunt, factum est sine dubio per Bacidem[6]) eiusque similes: recentioris memoriae χρησμολόγοι quasi opifices quidam rerum sacrarum iudicandi videntur sicut nunc hierarchiae emissarii tonsi, qui non aliis rebus nisi religione atque ignorantia ad fraudes pias compellantur. Quare unum, quo Diopithes eiusque collegae re vera tangantur, est opprobrium inertiae, qua inscitiae, non ventris esurientis nutricula misere coacti sunt ad alienae opis indigentiam ac molestiam audacem. A Diophithe non crediderim diversum nec THEOGENEM, cuius iactantia in Avib. 1127 perstringitur,[7]) nec THEOPHRASTUM, qui inter convivas tumultuantes sedens multumque suae dignitati tribuens διεμύλλαινεν, ὡς δὴ δεξιός· ὁ γέρων δὲ τὸν Θούφραστον ἤρετ', Εἰπέ μοι, ἐπὶ τῷ κομᾷς καὶ κομψὸς εἶναι προσποιεῖ, κωμῳδολειχῶν περὶ τὸν εὖ πράττοντ' ἀεί·[8]) — nec THUMANTIN τὸν ἀνέστιον·[9]) — Neque STILBIDES alius videtur ac LAMPO: maior est enim nominum morumque similitudo,

---

[1]) Lobeck Aglaoph. p. 979. — [2]) Quia mendicorum more porrigebat manum incurvam, audivit Eq. 1083 τὴν Κυλλήνην γὰρ ὁ Φοῖβος εἰς τὴν χεῖρ' ὀρθῶς ἠνίξατο τὴν Διοπείθους· cf. schol. quibus refutantur, quae Kock ad hunc v. collegit: Diopithes mit der gelähmten oder krummen Hand . . — [3]) Vesp. 380. Hoc loco inspecto miror, quod viri docti de furore cogitarunt, praesertim quum schol. vocem ψυχὴν explicaturus vocabulo utitur παράστημα· Quanta harioli iactantia indueantar vid. Pac. 1050 seq. Av. 988 ὁ μέγας Διοπείθης· Hinc ne Amipsiae quidem vel Teleclidis et Phrynichi fragm. apud Meinek. p. 704, 364, 583 de furore, sed de vana Diopithis ostentatione censemus accipienda. — [4]) Av. 983 ἄνθρωπος ἀλάζων coll. c. v: 988. — [5]) Hesych. Ἀγερσικύβηλιν Κρατῖνος ἐν Δραπέταις ἐπὶ τοῦ Λάμπωνος· τὸν αὐτὸν ἀγύρτην καὶ κυβελίστην εἶπεν· — [6]) Pax 1069 εἰ γὰρ μὴ Νύμφαι γε θεαὶ Βάκιν ἐξαπάτασκον, μὴ δὲ Βάκις θνητούς etc. — [7]) Cf. Meinek. fragm. p. 367. 474 et 1174. — [8]) Vesp 1315 seq. — [9]) Eq. 1267 seq; cf. Meinek p. 393.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quam ut Augusto Lobeck seorsum eos tractanti[1]) suffragari possis. Quis vero, quanta inter Diopithem Theophrastum Thumantin Theogenem intercedat, non sentit similitudinem? Num Hierocles[2]) aut cum Diopithe aut cum Lampone idem sit, non patet: Lobeck quidem, qui Aglaoph p. 979 seq. omnia documenta ad Diopithem Lamponem Stilbidem Hieroclem pertinentia diligenter congessit, hunc quoque a caeteris distinxit. Fortasse fictum OEONICHI vel OEONICI nomen pro haruspice quodam est accipiendum: ac sane multis locis homines abiecti cum fatidicis amicitiam habentes epulantesque inducuntur, in Eq. 1287 vero Ariphrades nequissumus iudicatur propter Oeonici consuetudinem. Postremo PROXENIDES, siquidem cognomen fumi[3]) et vaniloqui[4]) recte intellego, hariolis adscribendus est, praesertim quum Theogeni *σύζυγος* exhibeatur.

EUDAMUS incertum, qua viguerit aetate. Eum physicis operam navasse multumque in arte medendi profecisse, auctor est Theophrastus:[5]) *Εὔδημος ὁ φαρμακοπώλης εὐδοκιμῶν σφόδρα κατὰ τὴν τέχνην.*[6]) Apud Aristophanem annulos venditat[7]) quaslibet calamitates averuncantes: etenim eiusmodi annuli vi magica confisum omnes se sycophantae conatus ridere vir quidam iustus praedicat. Multique Atheniensium annulos tales gestabant, ne serpentium morsu laederentur, qua de re vid. schol. ad Plat. 884.

EXECESTIDES homo ingeniosus liberalique doctrina politus, sed nimis mobilis ac parum sibi constans videtur fuisse. Ita enim schol. Av.[8]) *μέμνηται δὲ αὐτοῦ καὶ Πολέμων ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ τῆς Ἀθήνησι Ἐρατοσθένους ἐπιδημίας λέγων· ὁ δὲ Ἐξηκεστίδης κιθαρῳδὸς πυθιονίκης· νικᾷ δὲ καὶ τὸν τῶν Καρνείων ἀγῶνα τὸν ἐν Λακεδαίμονι, καὶ Παναθήναια δίς·* Et quia a Polemone *κιθαρῳδὸς πυθιονίκης* exhibetur, non licet eum componi Execestidae, de quo Pausanias:[9]) *Ἐξηκεστίδου Φωκέως ἐνίκησεν ἡ συνωρίς.* Quamquam propter mobilitatem ingeni, unde a Phrynicho simiae nomen invenit,[10]) fieri potuit, ut plures tentaret artes in bigarumque certamen descenderet. Quod si ita esset, patriam haberet Phocidem. Nullam ei adsignat Aristophanes vel Cariam, barbarum eum compellans.[11]) Eius iudici caussa nescio an versetur in illa hominis mobilitate, quae eum compelleret ad domicilium quotannis saepiusve mutandum. Videtur enim solitus esse decantare „ubi bene, ibi patria“, quod hac quoque aetate artificibus haud mediocriter probari, quis est quin intellegat? Nec ille solum cantabat, verum patria carens modo huc modo illuc errabat, siquidem Polemo vera memoriae prodidit de Execestide et Corinthi et Athenis et Lacedaemone victore. In talem hominem, perlustrato orbe terrarum,

---

[1]) Aglaoph. l. l. — [2]) Pax 1043—1186 et Meinek. p. 515. — [3]) Vesp. 325. — [4]) Av. 1126 *Προξενίδης Κομπασεύς*· cf. schol. ad h. l. et Meinek p. 367. — [5]) Histor. Plant. IX, 18. Neque enim verisimile est, fieri potuisse, ut Theophrastus Eudemo aequali eidemque Aristotelis discipulo nobilissumo nomen daret pharmacopolae. — [6]) cf. schol. Plut. *ὁ δ' Εὔδαμος* (Ven. *Εὔδημος*) *φαρμακοπώλης* et Meinek. frag. p. 712. — [7]) Plut. 884. — [8]) ad v. 11. — [9]) X., 7. 7. — [10]) Meinek fr. p. 588. — [11]) Av. 763 et 1526.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

facile cadit:[1]) *οὐδ' ἄν μὰ Δία γ' ἐντεῦθεν Ἐξηκεστίδης (ἐξεύροι·)* Cf. Meinek. p. 1189 et Suid. v. *Ἐξηκεστίδης·*

GORGIAS Leontinus et PHILIPPUS Opuntius nihil obstabat, quominus ab Atheniensibus eodem modo existimarentur barbari, quo matre non Atheniensi orti compellabantur nothi. Quare ad illos videtur spectare illud Aristophanis:[2]) *ἔστι δ' ἐν Φαναῖσι πρὸς τῇ Κλεψύδρᾳ πανοῦργον ἐγγλωττογαστόρων γένος, οἳ θερίζουσίν τε καὶ σπείρουσι καὶ τρυγῶσι ταῖς γλώτταισι συκάζουσί τε βάρβαροι δ' εἰσὶν γένος Γοργίαι τε καὶ Φίλιπποι· κἀπὸ τῶν ἐγγλωττογαστόρων ἐκείνων τῶν Φιλίππων πανταχοῦ τῆς Ἀττικῆς ἡ γλῶττα χωρὶς τέμνεται·* et *οἷς γ' ἀπώλεσαν Φίλιππον τὸν Γοργίου.*[3]) De Gorgia praeter schol.[4]) consentit Meineke,[5]) ex cuius disciplina Philippum profectum esse recte suspicatur *Φίλιππον τὸν Γοργίου* eodem modo dictum esse statuens atque in Achar. 1170 *Λάμαχον τὸν Γοργασίου·* Hunc Philippum, oratorem ignobilem, dicendi facultate abusum esse ad calumniandum autumat, cui sententiae nos quidem non possumus opitulari. Si enim Aristophanis festivitate capti de Philippo sycophanta concederemus, non liceret patrocinari Socrati Gorgiae aliis. De altero pluribus iam est expositum: Gorgiam autem nemo unquam scriptorum censuit calumniarum crimine purgandum.[6]) Attamen non est dubium, quin ille poetae mordacis animum summopore irritaverit, quum dialecticae studium Athenas transtulisset omnemque operam in ea sic collocaret,[7]) ut teste Aristotele[8]) aliisque caeteras philosophiae partes vix degustaret primoribus labris. Contra multum in his, imprimisque is physicis, desudasse atque elaborasse videtur Philippus, cuius a Suida[9]) libri recenseantur permulti. Tamque industrium ac strenuum hominem doctrinam ex umbraculis eruditorum otioque in solem produxisse quum per se probabile est, tum decet Socratis et Gorgiae discipulum. Licet igitur Suidas eum philosophum appellet nec non Diogenes eius philosophiae tantummodo studium memoret,[10]) tamen non dubitamus eundem putare cum Philippo, oratore Aristophaneo, praesertim quum omissis aliis argumentis constet, non separari a poeta comico philosophos sophistasque a rhetoribus. Etiam interpretes de eiusmodi discrimine fuisse securos. vid. schol. Av. 692. Cf. Cic. De orat. III., 32. 129.

HIERONYMUS, Xenophanti filius, citharoedus, nimis promissis capillis Aristophanis risum movit. In Achar.[11]) chorus Dicaeopoli suadet: *λαβὲ δ' ἐμοῦ ἕνεκα παρ' Ἱερωνύμου σκοτοδασυπυκνότριχά τιν' Ἅιδος κυνῆν.* Quem si Nubes conspiciunt capillatum, eius dementiam ludificantes Centaurorum formam imitantur.[12]) Ac hunc locum interpres quidam Graecus lepidum commentum gratificatus est credulis:

---

[1]) Av. 11. — [2]) Av. 1694 sq. — [3]) Vesp. 421. — [4]) Ad Av. 1701 *Γοργίαν δὲ νῦν λέγει τὸν ῥήτορα, οὗ Πλάτων μνημονεύει.* — [5]) Fragm. p. 992—93. — [6]) Vid. Hegel, Geschichte der Philosophie p. 35 et Grote l. l. IV., p. 584 sq. — [7]) De Gorgiae vita, moribus ac studiis cf. Godofr. Stallbaum ad Platonis Gorgiam p. 52 seq; ubi multi alii vitae enarratores laudantur. — [8]) Polit. I., 5. 8 *πολὺ γὰρ ἄμεινον λέγουσιν οἱ ἐξαριθμοῦντες τὰς ἀρετάς, ὥσπερ Γοργίας.* — [9]) v. *φιλόσοφος.* — [10]) l. III., c. 25. — [11]) v. 390. — [12]) Nub. 349.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ἀγρίους (καὶ καλλοποδιώκτας) ἐκάλουν τοὺς παιδεραστάς· Ἱερώνυμον λέγει τὸν διθυραμβοποιόν, ὃς Ξενοφάντου μὲν ἦν παῖς περὶ παῖδας δὲ ἄγαν ἐπτόητο, λάσιον δὲ εἶχε τὸ σῶμα κτλ. Nimirum cuivis poetae dithyrambico pro animi concitatione quodammodo insita apud Aristoph. canendum putant „Caelebs quid agam?" Quasi vero poeta comicus tacuisset, si res ita se haberet. Sed iam nihil κομήτῃ obiectat, nisi forte insipientiam Eccl. 201: Ἀργεῖος ἀμαθής, ἀλλ' Ἱερώνυμος σοφός·[1])

LEOTROPHIDES idem cum Cinesia poesis genus amplexus eisdem, quibus ille, vitiis obnoxius habetur.[2]) Ac notatur una cum illo Av. 1405 βούλει διδάσκειν καὶ παρ' ἡμῖν οὖν μένων Λεωτροφίδῃ χορὸν πετομένων ὀρνέων, Κερκοπίδα φυλήν. Haec quum ad corporis maciem tum ad carminum pravitatem pertinent: neque enim solum Cinesias, ut poetae eidemque fortasse aucupi esurienti ac pallido cibum suppeditet, Leotrophidae chorum volantium avium docere iubetur, verum ut poesi afferat dignitatem, ἐπειδὴ καὶ οὗτος τῶν σφόδρα λεπτῶν· ἢ ὅτι καὶ οὗτος διθυραμβοποιὸς κοῦφος·[3]) Iam vero Κερκοπίδος φυλῆς mentione iniecta Leotrophidae libidines tanguntur, quam vere, Cinesias declarat respondens: καταγελᾷς μου, δῆλος εἶ· Alii poetae, velut Hermippus,[4]) solam Leotrophidae macilentiam rident.[5])

METO Leuconoensis,[6]) Pausaniae filius, celeberrumus aetatis Pericleae mathematicus coelique ac siderum spectator.[7]) Non prohibuit nec nominis nobilitate nec notis fastorum caeteris mathematicis convenientius descriptis[8]) nec aliis beneficiis in Athenienses collatis,[9]) quominus ut homo et vanus.[10]) et insipidus[11]) a Peisthetaero vapularet.[12]) Quare non defuere, qui Aristophanem suspicarentur cum eo simultates exercuisse.[13]) Nobis vero quoniam persuasum est, non magis fuisse eum infensum huic mathematico, quam caeteris μετεωροφέναξι et μετεωροσοφισταῖς,[14]) sive videbantur sive re vera erant, eos vocamus ad examinandas facetias Metonem oblique mordentes, quos non taedeat, Aristophanem habere in loco philosophi cuiusdam ex Stoicorum disciplina profecti.

MICO Atheniensis,[15]) Phanochi filius, semel ab Aristophane memoratur Lystr. 679. τὰς δ' Ἀμαζόνας σκόπει, ἃς Μίκων ἔγραψ' ἀφ' ἵππων μαχομένας· Erat pictor nobilis imprimisque equis pingendis vacabat, id quod et alii testantur et Aelianus. De nat. anim. IV., 50 ἀγαθὸς ἀνὴρ γράψαι τὸ ζῷον τοῦτο (τὸν ἵππον.)[16]) Hoc

---

[1]) Schol. nec affirmant nec negant, diversos Hieronymos perstringi, id quod quidam volunt cf. Ribbeck p. 218; verum pro opinione, quam sibi Aristoph. informaverit de dithyrambicorum sollertia, non dubitamus, quin Hieronymus exhibeatur unus. — [2]) Suid. καὶ κοῦφος ἦν διθυραμβοποιὸς ὁ Λεωτροφίδης· — [3]) Schol. Av. 1405. — [4]) Athen. XII., p. 551.b. — [5]) Cf. Meinek. fragm. p. 800. — [6]) Aelian. Var. hist. X., 7 et schol. Av. 997. — [7]) Suid. v. Μέτων. — [8]) Suid. v. Ἐνιαυτὸς Μέτωνος· ἢ ἐννεακαιδεκαετηρίς· Μέτων γὰρ ὁ μαθηματικὸς περίοδον ἐκτιθεὶς χρόνου ἐνέταξε ιθ'. — [9]) Suid. Καλλίστρατος δέ φησιν εἶναι αὐτοῦ ἐν Κολωνῷ ἀνάθημά τι ἀστρονομικὸν κτλ. cf. Meinek. p. 589. — [10]) Av. 1016 ἀλαζών. — [11]) Vel. schol. Av. 1001 quae Meto inducitur garriens ἀδιανόητα vocat. — [12]) Av 992–1020. — [13]) Vid. Aristoph. ed. Ivernizz. V., p. 526. — [14]) Nub. 333, 360 et passim in ea fabula. — [15]) Paus. VI., 6. 1. — [16]) Praeterea cf. schol. Lystr. 679 et Paus. I., 17. 3, 18. 1, VIII., 11. 3.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

multo inferior vulgo ducitur PAUSO vel PASO[1]) propter Musas agrestiores, ut opinatur Lessing nostras in libro, qui inscribitur Laocoon p. 11. Equidem ut potius de pictoris malignitate quadam eiusque satiricis ac mordacibus picturis cogitem, adducor et ipsius Aristophanis iudicio Ach. 854 *οὐδ' αὖθις αὖ σε σκώψεται Παύσων ὁ παμπόνηρος* et interpretis Graeci commentario: *οὗτος ὁ Παύσων ζωγράφος πένης σκωπτολόγος*[2]) et hominis misera vitae condicione. Nimirum laesis satira potentium impotentium animis, omnium gratiam sic effudit, ut in summa inopia aequalium misericordiam non commoveret saepeque fame miserrume laboraret.[3]) Nec Aristoteles Musas agrestiores innuit in Politia: *δεῖ μὴ τά Παύσωνος θεωρεῖν τοὺς νέους, ἀλλὰ τὰ Πολυγνώτου, κἂν εἴ τις ἄλλος τῶν γραφέων ἢ τῶν ἀγαλματοποιῶν ἐστιν ἠθικός*. Itaque Pausonem fuisse pictorem nobilem sed satiricum censemus eoque modo interpretamur Arist. De art. poet. II. *Παύσων χείρους εἴκαζε.*

PHIDIAS, clarissumus ille statuarius semel tangitur opprobrio idoneo, unde, qualis sit ars comica, videas. Furti enim accusatur Pax 605 *πρῶτα μὲν γὰρ αὐτῆς (τῆς εἰρήνης) ἦρξε Φειδίας πράξας κακῶς*, quae verba schol. sic illustravit: *ὁ Φειδίας, ὡς Φιλόχορός φησιν, ἐπὶ Θεοδώρου ἄρχοντος τὸ ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς κατασκευάσας ὑφείλετο τὸ χρυσίον ἐκ τῶν δρακόντων τῆς χρυσελεφαντίνης Ἀθηνᾶς, ἐφ' ᾧ καταγνωσθεὶς ἐζημιώθη φυγῇ*. Cui interpretationi et alii obviam iverunt et Boeckh,[4]) ut non indigeat artifex egregius nostro patrocinio. At poetae versum corruptum restituamus, pro *αὐτῆς ἦρξε* scribentes *αὐτῆς εἶξε* = *αὐτὴν ἀπεπέμψατο*, ratione habita v. 617 *ταῦτ' ἄρ' εὐπρόσωπος ἦν, οὖσα συγγενής ἐκείνου*. Qui praecedit v. *οὐδ' ὅπως αὐτῇ προσήκοι Φειδίας ἠκηκόειν* satis aperte declarat Aristophanem cum Phidia ioca agentem.

PHRYNIS Mytilenaeus, Canonis filius,[5]) tibicen, ex quo ab Aristoclide didicit *κιθαρίζειν*, huic arti sic studebat, ut brevi omnes citharoedos Atheniensium superaret.[6]) Quia vero intra fines sese non continuit, quibus tum ars citharoedorum circumscripta

---

[1]) Vid. H. Bonitz ad Aristot. Metaphys. p. 1080. — [2]) Ad ridendum propensum fuisse Pausonem lepida quoque fabula docet, quam narravit Plut. De Pyth. Orac. p. 396. — [3]) Thes. 949—52 et Plut. 602. — [4]) Staatshaush. der Athener. I., p. 274. Unstreitig haben die Komiker, welche jeden ausgezeichneten Mann herunterrissen, auch gegen ihn übertrieben, wie Aristophanes in den Wolken einen Absatz aus Perikles' Abrechnung, welche er als Feldherr abgelegt hatte, mißbilligend bespöttelt, ungeachtet er hier vollkommen rein war . . . Vor dem Ausbruch des Peloponnesischen Krieges gerieth Pheidias der Bildhauer, wie es scheint durch arglistige Nachstellung, in Untersuchung wegen unterschlagenen Goldes: damals half Perikles ihm und sich heraus; aber mehre andere Händel wurden dem Perikles zum Verdruß angefangen u. s. w. cf. vol. II. p. 275. Auf das Gorgobild der großen Bildsäule muß hingegen der Diebstahl bezogen werden, von welchem bei Suidas: *Φιλαίας ἡ καὶ Φιλέας, Ἀνδοκίδην ἱεροσυλίας ἐγράψατο, ὥςπερ οὐκ αὐτὸς ὢν ὁ τῆς θεοῦ τὸ Γοργόνειον ἐκ τῆς ἀκροπόλεως ὑφελόμενος*. Suidas selbst schrieb *Φιλέας* wie Küster bemerkt; Isokrates (g. Kallim. 22) nennt ihn *Φίλεργος*. Mit diesem Diebstahl hätte der angebliche des Pheidias (Philochoros b. Schol. Aristoph. Frieden 604) von Barthélemy (Anach. Bd. II. S. 416. 417 d. deut. Uebers.) nicht verwechselt werden sollen. — [5]) Poll. IV., 66. — [6]) Schol. Nub. 971.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

erat, eorumque exemplum imitari maluit, qui in alio litterarum et artium genere nimia uterentur licentia, evenit, ut priscam ac masculam musicam Graecorum mollibus modulationibus et variis modorum inflexionibus corrupisse ac quasi effeminasse putaretur. Quocirca non minus sophistis iram commovit poetarum *ἄνδρας Μαραθωνομάχους τρεφόντων* verberaque minantium; *εἴ τις . . . κάμψειέν τινα καμπήν, οἷας οἱ νῦν τὰς κατὰ Φρῦνιν ταύτας τὰς δυςκολοκάμπτους*[1]) Apud Pherecratem vero Musica conqueritur:[2]) *Φρύνης* sive *Φρῦνις δ' ἴδιον στρόβιλον ἐμβαλών τινα, κάμπων με καὶ στρέφων ὅλην διέφθορεν*. Adde huc Plutarch. p. 1133. Bergk Anthol. p. 387 et interpretes recentiores, quos laudavit Mein. frg. p. 328.

PITTALUS sive Spittalus[3]) medicus artis suae non satis gnarus videtur fuisse idemque pharmacopola circumforaneus. In Vesp. 1432 Sybaritae cuidam, capite propter ignorantiam artis equestris vulnerato, suadet amicus: *Ἔρδοι τις, ἣν ἕκαστος ἂν εἰδείη τέχνην. οὕτω δέ καὶ σὺ παράτρεχ' εἰς τὰ Πιττάλου*. Neque enim dubitamus, quin versus posterior comice illustret illud *ἣν ἕκαστος κτλ*. Ad eundem Pittalum eiusque sectatores, omnium rerum medicinam sibi esse professos, et rusticus quidam, bove amisso, delegatur Ach. 1032 *ἀλλὰ κλᾶε πρὸς τοὺς Πιττάλου*, et Lamachus in bello vulneratus Ach. 1221. Itaque nihil aliud nisi schol. inventum iudicandum, quod est apud Suid. *Σπίτταλος ἰατρὸς παρ' Ἀθηναίοις δόκιμος*.

PRODICI Cei, nobilis sophistae, Socrati aequalis, imaginem vitae egregie adumbravit Welcker.[4]) Quare ne hortulos alienos videamur esse depeculati, quid Aristoph. sibi persuaserit de Prodico qualemve existimari voluerit a popularibus, ambagibus missis exploremus. En eius versus huc pertinentes: *οὐ γὰρ ἂν ἄλλῳ γ' ὑπακούσαιμεν τῶν νῦν μετεωροσοφιστῶν, πλὴν εἰ Προδίκῳ τῷ μὲν σοφίας καὶ γνώμης οὕνεκα.*[5]) Hic quicunque sophistae laudem odorati sunt, non aminadverterunt vocem *μετεωροσοφιστῶν*, non animadverterant Socratis, qui ubique in Nubibus ridendi gratia inducitur, societatem, non animadverterunt quasi aeriam quandam Nubium laudem sapientiae. Hanc ipsam Prodici sapientiam eiusque auctorem plorare iubet chorus Av.[6]) *ἵν' ἀκούσαντες πάντα παρ' ἡμῶν ὀρθῶς περὶ τῶν μετεώρων, φύσιν οἰωνῶν γένεσίν τε θεῶν ποταμῶν τε Ἐρέβους τε Χάους τε εἰδότες ὀρθῶς Προδίκῳ παρ' ἐμοῦ κλάειν εἴπητε τὸ λοιπόν*. Dehinc quae sequitur theogonia ex multis multorum philosophorum placitis conglutinata, eam non est dubium, quin poeta lepidus exempli gratia posuerit, ut philosophandi genus Prodiceum ludificaretur. Neque enim solum hoc loco temere sophista ad inferos descendit diuque ibi versatur, verum etiam in Tagenistis,[7]) ubi Welcker l. l. orationem multis locis ad Prodici placita conformatam sagaciter vidit calumniasque scite ad hunc sophistam rettulit. Ibidem reperiuntur versus: *Τοῦτον τὸν ἄνδρ' ἢ βιβλίον διέφθορεν ἢ Πρόδικος ἢ τῶν ἀδολεσχῶν εἷς γέ τις*. Quibus omnibus cognitis rebusque perpensis, Prodicum a poeta comico non tam laude quam contumelia dignum esse iudicatum, quis est quin concedat?

---

[1]) Nub. 971. — [2]) Meinek. frgm. p. 327. — [3]) Cf. Suid v. Σπίτταλος. — [4]) Rheinisches Museum I. — [5]) Nub. 361. — [6]) 960 seq. — [7]) Cf. Meinek. frgm. p. 1147 seq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Atque haec ita Aristoph. sentiebat caussa commotus eadem, qua in Socratem iniquum eum exstitisse iam vidimus. Hoc unum accedit, quod ad sophistas contemnendos animi Graecorum vehementer incitabantur ab ipso Socrate [1]) eiusque discipulis,[2]) velut a Platone, quibus mercenarii illi praeceptores omne virtutis studium aspernari viderentur. Quod quomodo potuerit fieri a Prodico, inventa illa de Hercule fabula, quae apud Xenophontem [3]) legitur, non est profecto facile intellectu.

PRONOMUS Thebanus tam bene meruit de arte musica, ut populares ei statuam ponerent.[4]) De quo Pausanias et alia [5]) et haec memoriae prodidit: [6]) „Posita illic statua est Pronomi tibicinis, qui unus omnium maxume apposite ad aures multitudinis permulcendas tibiis cecinit. Ante id tempus tres tibiarum species tibicinibus erant comparatae: namque aliae Doricis modis fabricatae, aliis Phrygiam harmoniam exprimebant, diversae ab his Lydiis adhibebantur modis. At Pronomus primus eiusmodi excogitavit tibias, quae ad omnia harmoniae genera essent accommodatae, primusque tam diversos genere modos iisdem tibiis effinxit. Idem vultus quoque habitu et insuper totius corporis motu mirifice dicitur spectatores in theatris delectasse.“ Hinc nescio an apud Athen. p. 631e refingendum sit: *Πρόνομος δ'ὁ Θηβαῖος πρῶτος ηὔλησεν ἀπὸ τῶν αὐλῶν τρεῖς ἁρμονίας* pro *τὰς ἁρμονίας*. Atque ad corporis habitum, quo spectatores in theatris delectarentur, sine dubio pertinebat magna barba, quam Aristoph.[7]) non minus risit, quam aliorum artificum, velut Hieronymi, promissum capillum. Inde iam licet conicere, Athenis quoque Pronomum in honore fuisse: cui sententiae ex eo multum accedit firmamenti, quod Athenaeus Alcibiadis eum praeceptorem exhibet.[8]) Neque solum musicam, verum etiam litteras eum docuisse testis est Eupolis sive Quintilianus: [9]) „eosdem utriusque praeceptores fuisse quum Sophro ostendit . . . tum Eupolis, apud quem Prodamus et musicam et litteras docet.“ Eoque loco iam pridem pro Prodamo repositum esse Pronomi nomen vid. Meinek. frgm. p. 431.

---

[1]) Cf. Cic. Brut. 8, 31. „His (sophistis) opposuit sese Socrates“, quam sententiam omnes fere Platonis dialogi confirmant. — [2]) Grote IV., p. 604 seq. — [3]) Memor. II., 1. 21. — [4]) Paus. IX., 12. 6. — [5]) IV., 27. 7. — [6]) IX., 12. 5—6. — [7]) Eccles. 102 *Ἀγύρριος, Προνόμου πώγων' ἔχων ἐλάνθανε*, quem v. Suid. quoque attulit. — [8]) P. 184 d. — [9]) Instit. orat. I., 10. 17.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf